image
not
available

THOMAE VALLAVRII

EPITOME

HISTORIAE ROMANAE

AB VRBE CONDITA AD ODOACREM

AD VSVM STVDIOSORVM CONCINNATVM

ACCEDIT LEXICON LATINO-ITALICVM

L. 1, 20.

AVGVSTAE TAVRINORVM
EX OFFICINA ASCETERII SALESIANI
AN. M. DCCC. LXXI.

BIBLIOTECA DELLA GIOVENTU' ITALIANA

Pubblicazione mensile

Anno III (1871)

Il bisogno universalmente sentito di istruire la studiosa gioventù nella lingua italiana, deve animare tutti i cultori di questa nobile nostra favella ad usare que' mezzi che sono in loro potere per agevolarne la cognizione sopra quegli autori che l' antichità e la comune opinione degli eruditi giudicò classici e degni di servire altrui di modello.

Egli è con questo intendimento che si è ideata la *Biblioteca della gioventù italiana.* Essa ha per iscopo di pubblicare quei testi di lingua o antichi o moderni, che più da vicino possono esser utili alla colta gioventù. Per riuscire in questa impresa ci siamo procacciato l'appoggio e l'opera di alcuni benemeriti professori e dottori in lettere, i quali mossi unicamente dal desiderio di giovare altrui si propongono:

1. Di raccogliere e pubblicare i migliori classici della nostra lingua italiana ridotti all'ortografia e lezione moderna, omettendo quelle cose che saranno reputate inopportune al giovine lettore, specialmente per quanto concerne la moralità.

2. Saranno di preferenza scelti quelli che per amenità di pensieri e di materia e per purezza di lingua riusciranno meglio allo scopo.

3. Pei commenti, ove ne sia caso, si faranno soltanto brevi annotazioni che servano a dilucidare il senso letterale, nel che si seguiranno le interpretazioni dei più accreditati commentatori.

EPITOME

HISTORIAE ROMANAE

Effice ut possis laudari, si minus, ut agnosci.

L. A. Seneca, Ep. cxx, 23.

THOMAE VALLAVRII

EPITÓME

HISTORIAE ROMANAE

AB VRBE CONDITA AD ODOACREM

AD VSVM STVDIOSORVM CONCINNATVM

ACCEDIT LEXICON LATINO-ITALICVM

AVGVSTAE TAVRINORVM
EX OFFICINA ASCETERII SALESIANI
AN. M. DCCC. LXXI.

THOMAS VALLAVRIVS

L. S.

Equidem scio, fore nonnullos, quibus ipse, Epitomen historiae romanae perscribens, actum agere videar; quum Lhomondi opella exstet De viris illustribus urbis Romae, quae, nobis pueris, usurpari coepta in scholis, etiamnunc studiosorum manibus teritur. Sed hi erunt fere, qui hebetes ad id, quod melius sit, intelligendum, ea sentire consueverunt, quae probantur in vulgus. Qui autem Marte suo rem penitus cognoverint, neque γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας inclamabunt, neque omnem, credo, lucubratiunculae meae laudem invidebunt.

Profecto galli scriptoris libellum inspicienti, quem modo memoravi, facile oc-

currit, mancam inde ac debilem peti rerum romanarum notitiam. Quum enim auctori propositum esset illustrium Romanorum vitas exponere, non res romanas in historiam conferre; multa consulto praetermisit, quae ab instituti operis ratione abhorrerent; aliqua etiam ordine praepostero sic narravit, ut historiae saepe nexus desideretur, neque commoda temporis notatione recreentur lectores. In rerum autem delectu atque aestimatione non ea semper felicitate usus est noster, ut, levioribus posthabitis, gravissima tantum sectaretur (1), omniaque demum ad historicam veritatem exigeret (2). Huc accedit, quod opus suum Augusteae aetatis cancellis parum considerate circumscripsit; perinde ac si, post-

(1) Id apertissime testatur vita Servii Tullii, ubi nulla census mentio est iniecta, qui ab hoc primum rege prudenter institutus omnem plane suffragiorum rationem immutavit, et longe maximum pacis opus a Livio est appellatus. Multa e contrario levioris sane momenti ibidem referuntur a Servio gesta, quae in breviario rerum romanarum operae pretium non erat commemorare. Hoc unum instar est omnium, quae de Lhomondiano delectu possent afferri, quaeque acris iudicii viri passim notabunt.

(2) Sic narrat Lhomondus, Ancum Marcium muro lapideo urbem circumdedisse; quod opus conceptissimis verbis regi Tarquinio Prisco adscribit T. Livius (I, 38), cui omnes iuratissimi historici prorsus adstipulantur.

quam pugnatum est ad Actium, nihil uspiam memoria dignum gestum fuerit a Romanis; aut afflictae senescentis imperii vires, ipsaeque barbararum gentium incursiones, quibus Italia fuit deformata, nullum salubre ac frugiferum documentum attulerint, in quod iuventus nostra intueatur. Postremo haud ab re fuerit animadvertere, Lhomondum, quum a latinorum historicorum dictione recessit, haud infrequenter gallicum quiddam sonare, neque sat emendatum latinae locutionis exemplar adolescentulis nostris proponere (1).

(1) Ex iis, quae in latino sermone passim peccavit Lhomondus, perpauca dumtaxat delibabimus, quae in primo statim ingressu voluminis occurrunt, ne in re iam nota et pervulgata nimii esse videamur.

Legimus in vita Romuli: « Sabini Tarpeiam virginem nacti sunt, quae AQUAE, causa sacrorum HAURIENDAE, descenderat. » Poëticam locutionem vides, humanissime lector, a soluta oratione penitus absurdam. Nos: . . . QUAE AD AQUAM, SACRORUM CAUSA HAURIENDAM, DESCENDERAT. Vel Livium secuti: . . . QUAE AQUAM SACRIS PETITUM IERAT.

In vita L. Tarquinii Prisci: « UTERQUE SIMUL vociferari coepit. » Haec duo vocabula (uterque simul), quae sibi invicem adversantur, nusquam apud latinos scriptores coniuncta leguntur. Namque uterque ponitur quum de duobus hominibus sermo sit, qui diverso tempore et seorsum quid faciant. Ubi vero loquamur de duobus, qui uno tempore, coniunctim aliquid agant, utendum voce ambo. Hinc solemnis illa formula in senatusconsultis: « alter ambove consules. » Ital.: *L'uno dei consoli, o tutti due insieme.* Hinc Plautus, Mil. II, 2, 95: « Sed si ambas (sorores) videre miles volet.

Haec aliaque complura, in libro De viris illustribus urbis Romae ab elegantioribus saepius adnotata, me potissimum impulere, ut, post evulgatam Epitomen historiae graecae, hanc etiam adgrederer, quae historiam romanam ab urbe condita ad Odoacrem, septem libris complecteretur. Nequid vero in narratione claudicaret, hanc ex Livio, Cicerone, Sallustio, Tacito, Svetonio, Velleio Paterculo, Eutro-

quid agimus? » Ital.: *Ma se il soldato vorrà vederle tutte due insieme, che facciamo?* Cf. Plaut. Truc. v, 69; Terent. Adelph. I, 2, 50; Cic. de fin. II, 7, 20. Itaque omnino scribendum erat: AMBO VOCIFERARI COEPERUNT. Ital.: *Cominciarono tutti due insieme a gridare.*

Initio eiusdem capitis: « Additur haec fabula: SCILICET ei advenienti AQUILA pileum SUSTULIT. » Quum adverbium scilicet usurpatur pro eo quod est scire licet, ut in hoc Lhomondi loco, apud optimae notae scriptores habet post se modum infinitum. Sic Sall. Iug. IV: « Scilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim in se se habere etc. » Cf. Plaut. Rud. II, 3, 64; Lucret. II, 468. Rectius igitur: ADDITUR HAEC FABULA: SCILICET EI ADVENIENTI AQUILAM PILEUM SUSTULISSE.

In vita Anci Marcii: « Ponte sublicio IN TIBERIM facto. » Corrige, sis, lector: PONTE SUBLICIO IN TIBERI FACTO. Cf. Liv. I, 33; Cic. Ep. ad fam. x, 15; Cor. Nep. Milt. III.

In Servii Tullii vita: « SERVII TULLII dicto audientes essent. » Patrium casum pro tertio posuit noster, cui nemo unus ex latinis scriptoribus hac in re suffragatur. Bona Lhomondi venia liceat emendare: SERVIO TULLIO DICTO AUDIENTES ESSENT.

In capite quod inscribitur Cloelia virgo: « Quod ubi REGI nuntiatum est, primo ILLE incensus ira etc. » Invenuste id quidem atque ἀμφιβόλως. Namque τὸ ille ad alium potius quam ad regem pertinere videtur. Quanto satius, expuncto pronomine! QUOD UBI REGI NUNTIATUM EST, PRIMO INCENSUS IRA etc.

pio depromsi; optimum factum credens, res per multa diffusas volumina ipsis latinorum scriptorum verbis, quoad eius fieri posset, breviter strictimque referre. Quapropter ubi studiosi litterarum latinarum ad huius scriptiunculae interpretationem animum adiungant, non modo sinceram romanae gentis historiam arrepturos, sed etiam clarissimo latini sermonis candori assueturos confido. Vale.

Dabam Augustae Taurinorum x Cal. Martias, An. M. DCCC. LX.

EPITOME
HISTORIAE ROMANAE

LIBER I.

AB ANNO ANTE CHRISTVM NATVM MCLXXIX AD ANNVM DVII.

CAPVT I.

Aeneae in Italiam adventus. – Proelium adversus regem Latinum.– Huius filia Aeneae nubit. – Lavinium oppidum. – Ascanius Aeneae filius. – Bellum adversus Turnum et Mezentium. – Aeneae mors.– Alba longa. – Rex Proca. – Numitor. – Amulius. – Rhea Sylvia. – Remus et Romulus. – Numitor in Albanum regnum restituitur.

An. ante Chr. n. 1179. An. ante urb. cond. 429.

Troia capta, Aeneas cum sociis domo profugus, primo in Macedoniam, deinde in Siciliam insulam classe est delatus; tandem vero ab Sicilia ad Laurentem agrum venit, qui est ad ripam Tiberis orientalem. Ibi egressi Troiani, quum praedam ex agris agerent, rex Latinus Aboriginesque, qui tum ea tenebant loca, ad arcendam vim advenarum, armati ex urbe atque agris concurrunt. Sed Latinus proelio victus, pacem cum Troianis iungit, Lavinia filia, Aeneae in matrimonium data, ex qua Ascanius natus est. Troiani oppidum condunt; Aeneas ab nomine uxoris Lavinium appellat.

Turnus, rex Rutulorum, cui pacta Lavinia ante adventum Aeneae fuerat, praelatum sibi advenam

aegre ferens, simul Aeneae Latinoque bellum intulit. Victi Rutuli ad Mezentium Etruscorum regem confugiunt, qui haud gravatim socia arma illis iunxit. Aeneas autem, mortuo rege Latino, Aborigines et Troianos communi nomine Latinos appellat, eorumque copias in aciem educit. Proelio uno debellatum est; in quo victores Latini Aeneam ducem amisere.

Ascanius, Aeneae filius, Lavinium, florentem iam, ut tum res erant, atque opulentam urbem, matri reliquit: novam ipse aliam sub Albano monte condidit, quae Longa Alba fuit appellata. Post Ascanium undecim reges numerantur, qui Albae imperium tenuerunt. Proca, tertiusdecimus Albanorum rex, Numitorem atque Amulium procreat. Numitori, qui natu maior erat, regnum legat. Sed pulso fratre, Amulius regnat: utque illi futurae sobolis spem adimeret, Rheam Sylviam eius filiam, vestalem legit. Quae tamen, licet perpetuae virginitati addicta, uno partu Remum et Romulum edit.

Amulius, re cognita, sacerdotem vestalem in custodiam dari, et pueros, alveo impositos, in profluentem Tiberis aquam mitti iubet, qui forte super ripas erat effusus. Quum fluitantem alveum, quo expositi erant pueri, tenuis aqua in sicco destituisset, fama est, lupam sitientem ex montibus, qui circa sunt, ad puerorum vagitum venisse, eos lingua lambisse, uberibusque suis aluisse. Quod quum vidisset Faustulus, magister regii pecoris, infantes ad stabula Larentiae uxori educandos tulit. Qui, ubi primum adolevere, coeperunt venando saltus peragrare, atque in latrones, praeda onustos, impetum facere.

Quum Remus et Romulus quodam die in Palatino monte, una cum grege iuvenum Lupercalia celebrarent in honorem Panis, ob iram praedae amissae illis insidiati sunt latrones. Remum captum regi Amulio tradunt, illum falso accusantes, quod, collecta iuvenum manu, ex Numitoris agris praedas ageret. Itaque Remus Numitori ad supplicium deditur. Numitor quum in custodia Remum haberet, audissetque geminos esse fratres, nepotum memoria tactus, sciscitando eo demum pervenit, ut haud procul esset, quin Remum agnosceret. Inter haec Romulus de origine sua a Faustulo admonitus, cum aliis pastoribus ad regem impe[illegible]facit, eoque obtruncato, Numitorem regem salutat.

Capvt II.

Romulus et Remus Romae conditores. - Remus a fratre necatus. - Romulus sacra Diis facit. - Legibus datis, xii lictores legit. - Asylum aperit. - Senato[illegible]centum creat. - Connubia a finitimis frustra petit. - Lud[illegible] - Raptus Sabinarum. - Caeninenses, Crustumini et Antem[illegible]es a Romulo victi. - Sabini bellum movent. - Irae diremptae [illegible]binis [illegible]ulieribus. - Pax et civitas una ex duabus facta. - [illegible]Tatii mors. - Bellum adversus Fidenates et Veientes. - Ro[illegible]s inter Deos relatus.

An. ante Chr. n. 750.

Numitori Albano regno permisso, Romulus et Remus urbem in iis locis condunt, [illegible]i expositi educatique fuerant. Sed mox coorto certamine, uter nomen novae urbi daret, et conditam imperio regeret, Deorum voluntatem per auguria consuluerunt. Palatinum montem Romulus, Remus Aventinum ad inaugurandum capiunt. Hic prior sex vultures; ille postea duodecim vidit. Itaque Romulus

augurio victor, conditam urbem suo nomine appellat. Aiunt, Remum, ludibrio fratris, novos transiluisse muros, atque ab irato Romulo fuisse interfectum. Ita solus potitur imperio Romulus.

Post sacra Diis peracta, Romulus, vocata ad concilium multitudine, leges dedit, et lictoribus duodecim lectis, se ipse venerabilem insignibus imperii fecit. Crescente interim urbe, ne incolae deessent, asylum aperit. Eo ex finitimis populis maxima turba, avida novarum rerum, perfugit. Quumque iam satis virium sibi esset, centum creat senatores, quorum consilio uteretur. Hos vel aetate, vel curae similitudine Patres appellat.

Iam res romana satis erat valida; sed penuria mulierum, nulla erat domi spes prolis. Tum, ex consilio Patrum, Romulus legatos circa vicinas gentes misit, qui societatem connubiumque novo populo peterent. Nusquam benigne legatio audita est. Romulus aegritudinem animi dissimulans, ludos parat Neptuno solemnes. Indici deinde finitimis spectaculum iubet. Multi mortales convenere studio etiam videndae novae urbis; praesertim vero Caeninenses, Crustumini, Antemnates et Sabini cum liberis ac coniugibus. Ubi spectaculi tempus venit, deditaeque eo mentes cum oculis erant; tum, signo dato, iuventus romana ad rapiendas virgines discurrit.

Turbato per metum ludicro, moesti raptarum parentes profugiunt, incusantes violatum hospitii foedus. Caeninenses, Crustumini et Antemnates, ad quos eius iniuriae pars pertinebat, primi omnium in agrum romanum impetum faciunt. Fit obvius cum exercitu Romulus, levique certamine eos fun-

dit fugatque. Deinde ab Sabinis bellum est conflatum. Hi quum Tarpeiae puellae dolo romanam arcem tenuissent, postero die adversus Romanos decertarunt. Prima statim congressione romana acies in fugam versa. Romulus arma ad caelum tollens, templum vovet Statori Iovi. Restitere tamquam divino numine Romani, et redintegrant proelium. Tum sabinae mulieres, quarum ex iniuria bellum ortum erat, crinibus passis, scissaque veste, ausae sunt se inter tela volantia inferre; et hinc patres, hinc viros orantes, pacem inter ipsos conciliarunt.

Inde Romulus et Titus Tatius, rex Sabinorum, foedere icto, civitatem unam ex duabus faciunt: regnum consociant, imperium omne conferunt Romam. Romulus populum in curias triginta divisit; et tres equitum centurias conscripsit, qui Ramnenses, Tatienses et Luceres fuerunt appellati. Post aliquot annos, quum Titus Tatius fuisset interfectus, Romulus unus regnum adeptus, Fidenates et Veientes, arma Romae inferentes, devicit.

His editis operibus, quum anno regni septimo et trigesimo, ad Caprae paludem exercitum recenseret, subito coorta tempestas tam denso regem operuit nimbo, ut conspectum eius omnibus abstulerit; nec deinde in terris Romulus fuit. Vulgo creditum est, inter Deos fuisse relatum. Cui rei mox fidem adiecit Iulius Proculus, qui, impulsu Patrum, in concione dixisse fertur, Romulum caelo repente delapsum, a se visum augustiore forma quam fuisset; mandasse praeterea, ut ipsum pro Deo colerent ac Quirinum vocarent.

Capvt III.

Numa Pompilius rex creatur. – Amorem pacis Romanis iniicit. – Dies fastos et nefastos facit. – Annum in duodecim menses dividit. – Leges, mores ac sacra instituit. – Moritur anno regni tertio et quadragesimo.

An. ante Chr. n. 712. An. ab urb. cond. 38.

Post annuum intervallum, quo Patres rem publicam gesserunt, populus, praetermissis suis civibus, Numam Pompilium, sabinum hominem, sibi regem adscivit. Hic vir, divini atque humani iuris consultissimus, ut Romam venit, mitigandos feroces Romanorum animos ratus, primum agros, quos bello Romulus ceperat, divisit viritim civibus, docuitque, sine depopulatione ac praeda posse eos colendis agris abundare commodis omnibus; amoremque eis otii et pacis, et metum Deorum iniecit. Quum autem hic metus descendere ad animos sine aliquo commento miraculi non posset, simulat sibi cum Dea Egeria congressus nocturnos esse; eiusque monitu se quae acceptissima Diis essent, sacra instituere. Atque omnium primum Iani templum excitavit, quod apertum, in armis esse civitatem, clausum pacatos circa omnes populos significaret; ad cursum lunae, in duodecim menses annum descripsit, et nefastos dies fastosque fecit. Tum sacerdotibus creandis animum adiecit; ad pristinum numerum duos augures addidit, et sacris omnibus pontifices quinque praefecit. Adiunxit praeterea Flamines, Salios, virgines Vestales, omnesque partes religionis statuit sanctissime. Nec caelestes modo caerimonias, sed iusta quoque funebria populum

edocuit; eaque pietate omnium pectora imbuit, ut fide ac iureiurando, non minus quam legum ac poenarum metu cives regerentur. Idem mercatus, ludos, omnesque conveniendi causas et celebritates invenit; quibus rebus institutis, ad humanitatem ac mansuetudinem revocavit animos hominum, studiis bellandi iam immanes et feros. Postquam vero annos tres et quadraginta in summa pace concordiaque regnavisset, excessit e vita, duabus praeclarissimis ad diuturnitatem reipublicae rebus constitutis, religione et clementia. Ita duo deinceps reges, alius alia via, ille bello, hic pace civitatem auxerunt.

CAPVT IV.

Tullus Hostilius, tertius Romanorum rex. - Bellum Albanum. - Horatiorum et Curiatiorum pugna. - Horatius, caesa sorore, capitis condemnatur et absolvitur. - Perfidia Metti, et supplicium de eo sumptum. - Roma crescit Albae ruinis. - Bellum adversus Sabinos. - Tulli morbus et mors.

An. ante Chr. n. 669. An. ab urb. cond. 81.

Numae morte ad interregnum res rediit. Inde Tullum Hostilium regem populus creavit, Patribus adprobantibus. Hic non solum proximo regi dissimilis, sed ferocior etiam Romulo, undique materiam excitandi belli quaerebat. Primam pugnandi causam dederunt Albani, qui ex romano agro praedas agerent. Bellum summa ope paratur. Iamque instructi utrinque stabant exercitus; quum inter Tullum Hostilium et Mettum Fuffetium, Albanorum dictatorem, convenit, ut paucorum virtuti utriusque populi fortuna permitteretur. Erant in romano exercitu trigemini fratres Horatii, item in albano trigemini Curiatii, nec aetate nec viribus

2

dispares. Cum his agunt duces, ut pro sua quisque patria dimicent ferro; et foedus ictum inter Romanos et Albanos est his legibus, ut imperium penes eum populum foret, cuius cives eo certamine vicissent.

Foedere icto, trigemini arma capiunt, et pleni adhortantium vocibus, in medium inter duas acies procedunt. Consederant utrinque duo exercitus. Datur signum; et terni iuvenes, magnorum exercituum animos gerentes, concurrunt. Ut primo statim concursu increpuere arma, horror ingens spectantes perstringit. Consertis deinde manibus, duo Romani, super alium alius, vulneratis tribus Albanis, exspirantes corruerunt. Ad Romanorum casum conclamat gaudio albanus exercitus. Unus autem ille Horatius, qui integer supererat, ut Curiatiorum pugnam segregaret, capessit fugam, ratus, illos, pro diversa vulnerum gravitate, separatim secuturos. Iam aliquantum spatii ex eo loco, ubi pugnatum est, aufugerat, quum respiciens videt Curiatios magnis intervallis sequentes; unum vero ab se haud procul abesse. In eum magno impetu redit; et dum albanus exercitus inclamat Curiatiis, uti opem ferant fratri, iam Horatius, illo caeso, alterum petebat, quem pariter confecit, priusquam tertius, qui nec procul aberat, consequi posset. Iam singuli supererant; sed nec spe nec viribus pares. Alter enim intacto erat corpore, et geminata victoria ferox; alter fessum vulnere, fessum cursu trahebat corpus. Romanus exsultans, male sustinentem arma interficit; iacentem spoliat. Romani ovantes ac gratulantes Horatium accipiunt. Exercitus inde domos abducti.

Princeps Horatius ibat trium Albanorum spolia gerens; cui soror virgo, quae desponsa uni ex Curiatiis fuerat, obvia ante portam Capenam fuit; cognitoque super humeros fratris paludamento sponsi, quod ipsa confecerat, solvit crines, et flens nomine sponsum mortuum appellat. Movet feroci iuveni animum comploratio sororis in tanto gaudio publico; strictoque gladio, his simul verbis increpans, transfigit puellam: « Abi hinc cum immaturo amore ad sponsum, oblita fratrum, oblita patriae. Sic eat quaecumque Romana lugebit hostem. » Atrox visum Horatii facinus Patribus plebique. Itaque raptus in ius ad duumviros, capitis est condemnatus. Iam lictor accesserat, iniiciebatque laqueum, quum Horatius ad populum provocavit. Inter haec Horatii pater coepit proclamare, se filiam iure caesam iudicare; deinde iuvenem amplexus, et spolia Curiatiorum ostentans, orabat, ne se, quem paullo ante cum egregia stirpe conspexissent, orbum liberis facerent. Non tulit populus patris lacrimas, absolvitque Horatium admiratione magis virtutis, quam iure causae.

Nec diu pax albana mansit. Namque Mettus Fuffetius, Albanorum dictator, Fidenates et Veientes ad bellum adversus Romanos incitavit. Tullus Mettum exercitumque eius, ab Alba accitum, contra hostes ducit. Adversus Veientem hostem dirigit Romanos: Albanos contra legionem Fidenatium collocat. Sed Mettus, proditor, sensim cum suis ad montes succedit, eo consilio, ut vires in eam partem inclinaret, quae victoriam referret. Tullus, re cognita, clara voce, ut hostes exaudirent, ait, suo iussu circumduci albanum exercitum, ut Fide-

natium terga invadat. Romani eo acrius pugnant; hostes territi terga vertunt. Tullus victor, Metti perfidia dissimulata, in posterum diem vocari ad concionem romanum atque albanum exercitum iubet. Ibi duabus admotis quadrigis, in currus earum distentum illigat Mettum. Deinde in diversum iter equi concitati lacerum in utroque curru corpus portarunt. Quo facto, rex Albam urbem diruit, atque incolas Romam traducit.

Roma crescit Albae ruinis; duplicatur civium numerus; Coelius additur urbi mons, eamque sedem Tullus regiae capit. Principes Albanorum in Patres legit, novasque legiones scribit. Hac fiducia virium Tullus Sabinis bellum indicit; quibus devictis, quum in magnis opibus tota res romana esset, rex morbo est implicitus. Tunc fracti simul cum corpore sunt spiritus illi feroces, seque totum sacris et superstitionibus dedidit. Sunt qui tradant, Tullum fulmine ictum cum domo conflagrasse, postquam magna gloria belli regnavisset annos duos et triginta.

CAPVT V.

Ancus Marcius, quartus Romanorum rex. – Bellum adversus Latinos. – Ius fetiale. – Aventinus et Ianiculus urbi adiuncti. – Pons sublicius in Tiberi factus. – Carcer foro imminens. – Ostia urbs in ore Tiberis condita, et salinae circa factae. – Ancus moritur.

An. ante Chr. n. 637. An. ab urb. cond. 113.

Mortuo Tullo, Ancus Marcius, Numae Pompilii nepos ex filia, rex a populo est constitutus. Hic ut regnare coepit, Latinos bello devicit, qui incursionem in agrum romanum fecerant; secutusque morem regum priorum, qui rem romanam auxe-

rant hostibus in civitatem accipiendis, multitudinem omnem Romam traduxit. Quum autem medium obtineret ingenium, et Numae et Romuli memor, religiones proximo regno neglectas instauravit; praesertim vero ius fetiale constituit, quo bella indicerentur (1). Idem Aventinum et Ianiculum adiunxit urbi, et pontem sublicium tum primum in Tiberi faciendum curavit. Ad haec quum in tanta hominum multitudine facinora clandestina fierent, carcerem ad terrorem increscentis audaciae, media urbe, imminentem foro aedificavit. Neque urbs tantum hoc rege crevit, sed etiam ager finesque. Silva Maesia Veientibus adempta, usque ad mare imperium prolatum, et in ore Tiberis Ostia urbs condita, colonisque firmata; salinae circa factae, egregieque rebus bello gestis, aedes Iovis Feretrii amplificata. Ita quum Ancus quatuor et viginti regnavisset annos, est mortuus, cuilibet superiorum regum belli pacisque et artibus et gloria par.

CAPVT VI.

L. Tarquinius Priscus migrat Romam. - In regis familiaritatem recipitur. - Rex creatur. - Centum Patres lecti. - Equitum numerus auctus. - Bellum adversus Aequos et Latinos. - Ludi romani. - Urbs lapideo muro cincta. - Cloacae. - Aedes Iovis Capitolini. - Tarquinius insidiis Anci filiorum interiit.

An. ante Chr. n. 613. An. ab urb. cond. 137.

Anco regnante, ab urbe Tarquiniis Romam commigravit Lucumo quidam, Demarati corinthii filius, vir impiger, divitiis potens et cupidus hono-

(1) Hoc a M. T. Cicerone (de repub. II, 17) tribuitur regi Tullo Hostilio.

rum, cui postea Lucii Tarquinii Prisci nomen est factum. Huic Romam adventanti, et carpento sedenti cum uxore, aquila cum magno clangore volitans, pileum aufert, rursusque capiti apte reponit. Laeta accepit augurium Tanaquil uxor, caelestium prodigiorum perita, et alta sperare complexa virum iubet. Has spes cogitationesque secum portantes urbem ingressi sunt, domiciliumque ibi compararunt. Tarquinius brevi propter humanitatem atque doctrinam regi Anco familiaris est factus; usque eo, ut consiliorum omnium particeps esset, et postremo tutor etiam liberis regis institueretur. Erat in eo praeterea summa comitas, summa in omnes cives opis, auxilii, defensionis, largiendi etiam benignitas. Itaque mortuo Marcio, cunctis populi suffragiis rex est creatus.

Principio duplicavit pristinum Patrum numerum; et centum antiquos Patres, maiorum gentium appellavit, centum a se adscitos, minorum. Deinde equitum etiam numerum auxit; nec potuit Titiensium et Ramnensium et Lucerum mutare, quum cuperet, nomina, propterea quod Attus Navius, inclitus ea tempestate augur, id fieri posse negabat. Bello subegit Aequorum magnam gentem et ferocem, et rebus populi romani imminentem. Sabinos etiam, quum a moenibus urbis repulisset, equitatu fudit, proelioque devicit. Idem primum ludos maximos fecit, qui romani sunt appellati; muro lapideo urbem muniit; infima urbis loca, cloacis e fastigio in Tiberim ductis, siccat; aedemque in Capitolio Iovi Optimo Maximo, bello sabino, in ipsa pugna vovit faciendam. Postquam vero duodequadraginta regnavisset annos, insidiis Anci fi-

liorum est interfectus, qui semper pro indignissimo habuerant, se patrio regno, tutoris fraude, expulsos.

CAPVT VII.

Servius Tullius regno potitur. - Bellum adversus Veientes aliosque Etruscos. - Census. - Suffragii ferendi ratio. - Duae Servii filiae iuvenibus regiis nubunt. - Servius occiditur. - Foedum atque inhumanum Tulliae minoris scelus.

An. ante Chr. n. 575. An. ab urb. cond. 175.

Servius Tullius primus iniussu populi, voluntate Patrum regnavit. Quum hic, ex serva tarquiniensi natus, in regia educaretur, prodigium exstitit visu eventuque mirabile. Puero dormienti circa caput flammam emicuisse ferunt. Quod Tanaquil conspicata, magna puero portendi affirmavit, eumque praesidium regiae afflictae aliquando futurum. Inde rex Servium, liberum loco coepit habere, artibusque eruditum, quibus ingenia ad magnae fortunae cultum excitantur, sibi generum tandem adscivit. Quum autem Tarquinius fuisset occisus, Servius, adnitente regina, in locum illius suffectus, regnum ita administravit, ut ex omnibus regibus in re publica plurimum vidisse videatur.

Et primum in bello adversus Veientes aliosque Etruscos virtus et fortuna enituit Tullii; fusoque ingenti hostium exercitu, Romam rediit. Aggreditur inde ad pacis longe maximum opus. Censum enim instituit; populum in classes, singulas vero classes in centurias digessit; atque ita rem publicam ordinavit, ut omnia patrimonii, dignitatis, aetatis, artium, officiorumque discrimina in tabulas referrentur, et sic maxima civitas minimae domus

diligentia regeretur. Neque, ut ab Romulo traditum caeteri servaverant reges, viritim suffragium eadem vi eodemque iure promiscue omnibus datum est; sed gradus facti, ut nec prohiberetur quisquam iure suffragii, et primores valerent in suffragio plurimum, quibus salva tranquillaque omnia magis esse expediebat.

Tarquinius Priscus duos reliquerat filios; Lucium Tarquinium ardentis animi et Aruntem Tarquinium lenissimi ingenii iuvenem. His duobus duae Tulliae, regis Servii filiae, nupserant, et ipsae longe dispares moribus. Forte accidit, ut mitis sponsa feroci, vehemens mansueto viro iungeretur. Sed celeriter similitudo, ut fere fit, duo violenta ingenia coniunxit. Lucius Tarquinius et Tullia minor prope continuatis funeribus, quum domos vacuas novo matrimonio fecissent, iunguntur nuptiis. Tum vero ab scelere ad aliud spectare mulier scelus; nec nocte nec interdiu virum conquiescere pati, ne gratuita praeterita parricidia essent. His muliebribus instinctus furiis Tarquinius, ubi agendae rei tempus visum est, stipatus agmine armatorum, in forum irrumpit, atque in regia sede pro curia sedens, Patres in curiam, per praeconem, ad regem Tarquinium citari iussit. Servius, trepido nuntio excitatus, in curiam venit. Ibi Tarquinius medium arripiens Servium, in inferiorem partem per gradus deiicit, domumque repetentem a fautoribus suis interficiendum curat. Quibus auditis, Tullia carpento in forum invecta, revocavit virum e curia, regemque prima salutavit. A quo facessere iussa ex tanto tumultu, quum se domum reciperet, per cruentum patris corpus carpentum egisse fertur.

Monumento locus est. Sceleratum vicum vocant. Servius Tullius regnavit annos quatuor et quadraginta ita ut bono etiam moderatoque succedenti regi difficilis aemulatio esset.

CAPVT VIII.

L. Tarquinius Superbus regnat. - Regnum metu tutatur, omniaque solus agit. - Latium bello devincit. - Suessam Pometiam capit. - Iovis Capitolini templum aedificat. - Gabiis, Sexti filii fraude, potitur. - Ardeam obsidet. - Sextus Tarquinius vim infert Lucretiae. - L. Brutus Romanos adversus regem concitat. - Exsilium Tarquiniis indicitur.

An. ante Chr. n. 531. An. ab. urb. cond. 219.

Inde L. Tarquinius regnare occepit, cui Superbo cognomen facta indiderunt. Hic socerum sepultura prohibuit, Romulum quoque insepultum periisse dictitans; primores Patrum, quos Servii rebus favisse credebat, interfecit, neque ullos in eorum locum legere statuit, quo contemtior paucitate ipsa ordo esset. Quum autem neque populi iussu, neque auctoribus Patribus regnaret, nihilque ad ius regni praeter vim haberet, armatis corpus circumsepsit. Eo accedebat, ut in caritate civium nihil spei reponenti metu regnum tutandum esset; quem ut pluribus incuteret, cognitiones capitalium rerum, sine consiliis, per se solus exercebat, perque eam causam occidere, in exsilium agere, bonis multare poterat non suspectos modo aut invisos, sed unde (1) nihil aliud, quam praedam sperare posset.

Attamen huic iniusto domino atque acerbo aliquandiu in rebus gerundis prospere fortuna co-

(1) Eos, ex quibus.

mitata est. Nam et omne Latium bello devicit, et Suessam Pometiam, urbem opulentam, cepit, et maxima auri argentique praeda locupletatus, votum patris aedificatione Capitolii persolvit, et colonias deduxit. Excepit deinde eum lentius spe bellum, quo Gabios, propinquam urbem, nequidquam vi adortus, fraude ac dolo aggressus est. Namque Sextus filius, qui minimus ex tribus erat, transfugit ex composito Gabios, patris in se saevitiam intolerabilem querens. Benigne ab Gabinis excipitur; deinde in consilia publica adhibitus, sensim ad rebellandum primores Gabinorum incitat, et dux ad ultimum belli legitur. Tum e suis unum, sciscitatum Romam ad patrem mittit, quidnam se facere vellet. Huic nuntio nihil voce respondit rex; sed velut deliberabundus in hortum aedium transit, sequente nuntio filii; ibi inambulans tacitus summa papaverum capita dicitur baculo decussisse. Expectando responsum nuntius fessus redit Gabios. Quae dixerit, quaeque viderit refert. Sextus, ubi quid vellet parens, quidve praeciperet ex facto intellexit, primores civitatis alios alio modo interemit. Sic orba consilio auxilioque gabina res regi romano, sine ulla dimicatione, in manum traditur.

Gabiis receptis, Tarquinius pacem cum Aequorum gente fecit; foedus cum Tuscis renovavit, Ardeam obsidione pressit; et victoriis divitiisque exsultans, neque suos mores regere poterat, neque suorum libidines. Itaque quum iunior eius filius Lucretiae, Tricipitini filiae, Collatini uxori, vim attulisset, mulierque pudens et nobilis ob illam iniuriam se se ipsa morte multavisset; tum vir in-

genio et virtute praestans L. Iunius Brutus depulit a civibus suis iniustum illud durae servitutis iugum. Hoc nimirum auctore et principe concitata civitas, et hac recenti querela Lucretiae, et recordatione superbiae Tarquinii, multarumque iniuriarum et ipsius et filiorum, exsulem et regem ipsum et liberos eius, et gentem Tarquiniorum esse iussit. L. Tarquinius Superbus regnavit annos quinque et viginti. Regnatum Romae ab condita urbe ad libertatem annos ducentos, quatuor et quadraginta.

LIBER II.

AB ANNO ANTE CHRISTVM NATVM DVII AD ANNVM CCCXXXVII.

CAPVT I.

Primi consules creantur Brutus et Collatinus. - Brutus libertatis custos. - Senatum ad summam CCC explet. - Rex sacrificulus. - Collatino sufficitur P. Valerius. - Coniuratio iuvenum de recipiendis regibus. - Supplicium de proditoribus sumptum. - Tarquinii cum copiis in agrum romanum veniunt. - Brutus et Aruns caesi. - Valerius victor. - Regnum affectare creditus crimen diluit. - Lex de provocatione ad populum. - Valerius cognominatus Publicola.

An. ante Chr. n. 506. An. ab urb. cond. 244.

Post exactos reges duo consules comitiis centuriatis creati sunt, L. Iunius Brutus et L. Tarquinius Collatinus; qui omnia regum iura, omnia insignia tenuerunt. Brutus omnium primum cives, novae libertatis avidos, iureiurando adegit, neminem Romae passuros regnare. Deinde caedibus

regis deminutum Patrum numerum, primoribus equestris gradus lectis, ad trecentorum summam explevit. Et quia quaedam publica sacra per ipsos reges factitata erant, ne ulla in re esset regum desiderium, regem sacrificulum creant, quem pontifici subiecere, ne additus nomini honos aliquid libertati officeret. Ac nescio, an, nimis undique eam minimis quoque rebus muniendo, modum excesserint. Namque Tarquinium Collatinum, alterum ex consulibus, ob regium genus et nomen, abdicare se consulatu, et urbe excedere coëgerunt. Brutus autem collegam sibi comitiis centuriatis creavit P. Valerium, quo adiutore reges eiecerat.

At praeter omnium opinionem, per dolum ac proditionem prope libertas amissa est. Erant adolescentes aliquot romani, aequales sodalesque adolescentium Tarquiniorum, assueti more regio vivere. Quum hi de accipiendis clam nocte in urbem regibus, domi apud Vitellios fratres essent collocuti; assumptis in societatem consilii Tito Tiberioque, Bruti consulis filiis, sermonem eorum ex servis unus excepit, qui rem ad consules detulit. Datae ad Tarquinios litterae manifestum facinus fecerunt. Itaque proditores extemplo in vincula coniecti, sumptumque de illis supplicium est, eo conspectius, quod Bruto patri poenae de liberis capiendae ministerium consulatus imposuit; et qui spectator erat amovendus, eum ipsum fortuna exactorem supplicii dedit.

Postquam dolo viam obseptam vidit Tarquinius, bellum aperte moliendum ratus, contractis Veientium et Tarquiniensium copiis, in agrum romanum venit. Equitatui praeerat Aruns, Tarquinii filius;

rex ipse cum legionibus sequebatur. Obviam hosti consules eunt. Valerius quadrato agmine peditem ducit; Brutus ad explorandum cum equitatu antecessit. Aruns, ubi Brutum agnovit, inflammatus ira concitat calcaribus equum, atque in ipsum consulem dirigit. Quum sensisset in se iri Brutus, avide se certamini offert; adeoque infestis animis concurrerunt, ut contrario ictu uterque transfixus, moribundi ex equis lapsi sint. Commissa pugna, fugatisque Tarquinii copiis, P. Valerius consul triumphans Romam rediit; et quanto tum potuit apparatu, collegae funus fecit, quem matronae annum, ut parentem luxerunt, quod tam acer ultor violatae pudicitiae fuisset.

Valerius tamen, ut sunt mutabiles vulgi animi, regnum affectare dictus est, quod nec collegam subrogasset in locum Bruti, et in excelsiore loco Veliae coepisset aedificare, eo ipso, ubi rex Tullus habitaverat. Quum haec vulgo crederentur, consul, vocato ad consilium populo, submissis fascibus in concionem ascendit. Quumque omnem ab se suspicionem removisset, aedes suas detulit sub Veliam. Deinde legem tulit de provocatione adversus magistratus ad populum. Quo facto, statim secures de fascibus demi iussit, postridieque sibi collegam Spurium Lucretium subrogavit, suosque ad eum, quod erat maior natu, lictores transire iussit, instituitque primus, ut singulis consulibus, alternis mensibus, lictores praeirent, ne plura insignia essent imperii in libero populo, quam in regno fuissent. Inde Valerio cognomen factum Publicolae est. Mox suffectus in Spurii Lucretii demortui locum M. Horatius Pulvillus. Haec post exactos reges domi

militiaeque gesta primo anno. Inde P. Valerius iterum, Titus Lucretius consules facti.

CAPVT II.

Tarquinii ad Porsenam perfugiunt. - Hic romanum agrum invadit. - Horatius Cocles. - Urbs obsidetur. - Audax facinus C. Mucii Scaevolae. - Pax. - Virtus Cloeliae. - Legati frustra missi de reducendo in regnum Tarquinio.

An. ante Chr. n. 507. An. ab. urb. cond. 245

Iam Tarquinii ad Lartem Porsenam, Clusinum regem, perfugerant, orantes, ne se oriundos ex Etruscis, eiusdem sanguinis nominisque, egentes exsulare pateretur. Hic Romam infesto exercitu venit. Non unquam alias ante tantus terror Romanos invasit. Pro se quisque in urbem ex agris demigrant; urbem ipsam sepiunt praesidiis. Alia muris, alia Tiberi obiecto videbantur tuta. Pons sublicius iter pene hostibus dedit, ni unus vir fuisset, Horatius Cocles; qui positus forte in statione pontis, quum captum repentino impetu Ianiculum, atque inde citatos decurrere hostes vidisset, unus obstitit in primo aditu pontis, ipsoque miraculo audaciae obstupefecit hostes. Interrupto ponte, armatus in Tiberim desiluit, multisque superincidentibus telis, incolumis ad suos tranavit. Grata erga tantam virtutem civitas fuit. Statua in comitio posita; agri quantum uno die circumaravit datum.

Porsena primo conatu repulsus, consiliis ab oppugnanda urbe ad obsidendum versis, praesidio in Ianiculo locato; ipse in plano ripisque Tiberis castra posuit; navibus undique accitis ad custodiam,

ne quid Romam frumenti subvehi sineret. Ita sedendo, expugnaturum se urbem spem habebat; quum C. Mucius, adolescens nobilis, senatum adiit; Transire Tiberim, inquit, in animo est, Patres, et intrare, si possim, castra hostium volò; maximum, si Dii iuvant, in animo est facinus. Approbant Patres. Addito intra vestem ferro, proficiscitur. Ubi eo venit, in confertissima turba prope regium tribunal constitit. Ibi quum stipendium forte militibus daretur, et scriba cum rege sederet pari fere ornatu; Mucius timens sciscitari, uter Porsena esset, scribam pro rege obtruncat. A regiis satellitibus comprehensus, nomen et consilium suum profitetur, ac testatus, facere et pati fortia romanum esse, dextram accenso ad sacrificium foculo iniicit. Attonitus miraculo rex liberum inviolatumque dimittit. Tum Mucius, cui postea Scaevolae a clade dextrae manus cognomen inditum, quasi remunerans meritum: Trecenti, inquit, coniuravimus, ut in te hac via grassaremur. Mea prima sors fuit; caeteri, suo quisque tempore, aderunt.

Periculo conterritus Porsena, acceptis obsidibus, pacem cum Romanis composuit. Cloelia virgo, una ex obsidibus, quum castra Etruscorum forte haud procul ripa Tiberis locata essent, frustrata custodes, dux agminis virginum, inter tela hostium Tiberim tranavit; sospitesque omnes Romam ad propinquos restituit. Quod ubi regi nuntiatum est, oratorem Romam misit ad Cloeliam obsidem deposcendam. Romani pignus pacis ex foedere restituerunt. Tum Porsena in admirationem versus, laudatam virginem parte obsidum se donare dixit; ipsa quos vellet legeret. Productis omnibus, ele-

gisse impuberes dicitur, quorum aetas maxime opportuna iniuriae esset. Pace redintegrata, Romani novam in femina virtutem, novo genere honoris, statua equestri donavere. In summa sacra via fuit posita virgo insidens equo.

P. Lucretius inde, et P. Valerius Poplicola consules facti. Eo anno postremum legati a Porsena de reducendo in regnum Tarquinio venerunt. Breviter responsum, Romanos induxisse in animum, hostibus potius, quam regibus portas patefacere. Tarquinius, spe omni reditus incisa, exsulatum ad Mamilium Octavium generum, Tusculum abiit. Romanis pax fida ita cum Porsena fuit.

Caput III.

Bellum adversus Sabinos et Latinos. - Dictator creatus. - Pugna ad Regillum lacum. - Bellum adversus Volscos. - Seditio ob aes alienum. - Hostes pulsi et Suessa Pometia capta. - Victi Volsci, Aequi et Sabini. - Recrudescit seditio propter nexos ob aes alienum. - Legionum secessio in sacrum montem. - Menenius Agrippa.

An. ante Chr. n. 493. An. ab urb. cond. 257.

Anno ab urbe condita ducentesimo, septimo et quinquagesimo, M. Valerio, P. Postumio consulibus, bene pugnatum cum Sabinis; consules triumpharunt. Quum acriore inde mole Sabini bellum pararent, P. Valerius quartum, T. Lucretius iterum consules, infesto exercitu in agrum sabinum profecti, ita proelio afflixerunt opes hostium, ut diu nihil inde rebellionis timere possent. Anno post P. Valerius moritur gloria ingenti, copiis familiaribus adeo exiguis, ut funeri sumptus deesset. Mox duae coloniae latinae Pometia et Cora

ad Auruncos deficiunt; cum Auruncis bellum initum, quorum principes passim securi percussi; Pometia vero diruta, ager veniit.

Anno insequenti, quum triginta iam coniurasse Latii populos, concitante Octavio Mamilio, satis constaret, dictatoris primum creandi mentio orta. T. Aebutio deinde et C. Vetusio consulibus, non ultra bellum latinum, gliscens iam per aliquot annos, dilatum. A. Postumius dictator, T. Aebutius magister equitum, magnis copiis peditum equitumque profecti ad Regillum lacum in agro tusculano agmini hostium occurrerunt. Proelium ibi grave atque atrox fuit. Non enim duces ad regendam modo consilio rem affuere, sed suis metipsis corporibus dimicantes miscuerunt certamina; nec quisquam procerum ferme hac aut illa ex acie sine vulnere, praeter dictatorem romanum, excessit. Postremo Postumius equites obtestatur, ut fesso iam pedite, descendant ex equis, et pugnam capessant. Tum demum impulsi Latini, perculsaque inclinavit acies. Ibi nihil nec divinae, nec humanae opis dictator praetermittens, aedem Castori vovisse fertur; tantusque ardor Romanorum fuit, ut eodem impetu, quo fuderant hostem, castra caperent.

Sed et bellum volscum imminebat, et civitas secum ipsa discors intestino inter Patres plebemque flagrabat odio, maxime propter nexos ob aes alienum. Nec temperatum manibus foret, ni propere P. Servilius et Appius Claudius ad comprimendam seditionem intervenissent. Appius, vehementis ingenii vir, imperio consulari rem agendam censebat; uno aut altero arrepto, quieturos alios.

Servilius lenibus remediis aptior, concitatos animos pollicitationibus flexit, et copias contra Volscos eduxit. Primo statim incursu pulsi hostes; posteroque die Suessa Pometia capta, et praedae data.

Fusis deinde Volscis, Aequis et Sabinis, recrudescit seditio plebis. Et primo agitatum dicitur de consulum caede; deinde, Sicinio quodam auctore, in Sacrum montem secessit, tria ab urbe millia passuum. Pavor ingens in urbe, metuque mutuo suspensa erant omnia. Timere relicta ab suis plebs violentiam Patrum; timere Patres residem in urbe plebem. Placuit igitur oratorem ad plebem mitti Menenium Agrippam, facundum virum, et quod inde oriundus erat, plebi carum. Is intromissus in castra, prisco illo et horrido modo, nihil aliud quam hoc narrasse fertur: « Tempore, quo in homine non, ut nunc, omnia in unum consentiebant, sed singulis membris suum cuique consilium, suus sermo fuerat, indignatas reliquas partes, sua cura, suo labore ac ministerio ventri omnia quaeri; ventrem in medio quietum, nihil aliud quam datis voluptatibus frui. Conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent; hac ira dum ventrem fame domare vellent, ipsa una membra totumque corpus ad extremam tabem venisse. Inde apparuisse, ventris quoque haud segne ministerium esse, nec magis ali, quam alere eum; reddentem in omnes corporis partes hunc quo vivimus vigemusque, divisum pariter in venas maturum confecto cibo sanguinem. » Comparando hinc quam intestina corporis seditio similis esset irae plebis in Patres, flexisse mentes hominum.

Capvt iv.

Tribuni plebis creati. - Oppida Volscorum capta. - C. Marcius Coriolanus. - Lex agraria primum promulgata. - Sp. Cassius damnatus necatusque. - Fabiae gentis pugna et caedes ad Cremeram fluvium. - Volsci, Aequi et Sabini devicti. - Lex agraria iterum agitata.

An. ante Chr. n. 492. An. ab urb. cond. 260.

Agi deinde de concordia coeptum, concessumque in conditiones, ut plebi sui magistratus essent sacrosancti, quibus auxilii latio adversus consules esset: neve cui Patrum capere eum magistratum liceret. Ita tribuni plebis creati duo, C. Licinius et L. Albinus. Per secessionem plebis Sp. Cassius et Postumius Cominius consulatum inierunt; quibus consulibus, oppida quaedam Volscorum capta. In his Corioli, virtute praesertim C. Marcii, adolescentis et consilio et manu prompti, cui cognomen postea Coriolano fuit.

Per haec ferme tempora, quum foris quieta omnia a bello essent, et domi sanata discordia, aliud multo gravius malum civitatem invasit, caritas annonae. Quum autem magna vis frumenti ex Sicilia esset advecta, atque in senatu agitaretur, quanti plebi daretur, Marcius Coriolanus venisse tempus inquit premendae plebis, recuperandique iura, quae extorta secessione ac vi a Patribus essent. Tribuni plebis irati diem Coriolano dixerunt, qui damnatus absens in Volscos exsulatum abiit, minitans patriae, hostilesque iam tum spiritus gerens. Mox quum omne volscum nomen ab Romanis defecisset, C. Marcius imperator ad id bellum lectus una cum Attio Tullo, ad quintum ab urbe lapidem

castris positis, populatur agrum romanum. Missi de pace ad Marcium oratores atrox responsum retulerunt. Iterum deinde iidem missi non recipiuntur in castra. Sacerdotes quoque suis insignibus velatos isse supplices ad castra hostium traditum est; nihilo magis quam legatos flexisse animum. Tum Veturia mater, et Volumnia uxor duos parvos ex Marcio ferens liberos, cum ingenti mulierum agmine in castra hostium eunt. Ibi irata matris verba, uxoris ac liberorum amplexus, fletusque ab omni turba mulierum ortus fregere tandem virum. Complexus inde suos dimittit; ipse retro ab urbe castra movit. Abductis deinde legionibus ex agro romano, invidia rei oppressum periisse tradunt; alii alio leto.

Volscis deinde, Aequis et Hernicis devictis, lex agraria primum Romae promulgata. Sp. Cassius consul dimidium agri publici Latinis, dimidium plebi divisurus, ubi primum magistratu abiit, populi iudicio damnatur necaturque. Haud diuturna tamen ira populi in Cassium fuit. Dulcedo agrariae legis ipsa per se, dempto auctore, subibat animos; accensaque ea cupiditas est malignitate Patrum, qui, victis eo anno hostibus, milites praeda fraudavere.

Interea Veiens hostis, assiduus magis quam gravis, contumeliis saepius quam periculo animos agitabat. Tum Fabia gens senatum adiit. Fabius consul pro gente loquitur: « Patres conscripti, ait, vos alia bella curate; Fabios hostes Veientibus date; nostrum id nobis, velut familiare bellum, privato sumptu gerere in animo est. » Gratiae ingentes actae. Consul e curia egressus, comitante Fabiorum

agmine, domum rediit. Manat tota urbe rumor; Fabios ad coelum laudibus tollunt. Fabii postero die arma capiunt. Nunquam exercitus, neque minor numero, neque clarior fama et admiratione hominum per urbem incessit. Sex et trecenti milites ibant omnes patricii, omnes unius gentis, unius familiae viribus veienti populo pestem minitantes. Infelici via profecti ad Cremeram flumen perveniunt. Is opportunus visus locus praesidio communiendo. Veientes fusi pacem supplices petunt; cuius impetratae, ob insitam animis levitatem, mox poenituit. Itaque consilium capiunt insidiis ferocem hostem captandi. Multo successu Fabiis audacia creverat. Iamque adeo contemnebant hostem, ut sua invicta arma, neque loco neque tempore ullo, crederent sustineri posse. Haec spes Fabios eo provexit, ut ad conspecta procul a Cremera pecora decurrerent; et quum improvidi, effuso cursu, insidias circa ipsum iter locatas superassent, palatique passim vaga raperent pecora, subito ex insidiis consurgitur; et adversi et undique hostes erant. Fabii caesi ad unum omnes; trecentos sex periisse satis convenit; unum prope puberem aetate, domi relictum, stirpem genti Fabiae, dubiisque rebus populi romani, saepe domi bellique, vel maximum futurum auxilium.

Sed haec clades ingentibus est expiata victoriis. Namque munitissima capta sunt oppida, fusique Volsci, Aequi et Sabini. Quum autem urbi pax et laxior etiam annona rediisset, ex copia otioque lascivire rursus animi, et pristina mala, postquam foris deerant, domi quaerere; tribuni agrariae legis stimulis plebem identidem agitare, in resi-

stentes incitare Patres, neque in universos modo, sed in singulos.

CAPVT V.

Pestilentia urbs affligitur.– Aequorum Volscorumque strages. – Aequi bellum denuo inferunt Romanis. – L. Minucium consulem cum exercitu obsident. – L. Quintius Cincinnatus dictator. – Decemviri creati. – Leges XII tabularum. – Appii Claudii intemperies. – Virginius pater filiam interimit. – Decemviri abdicant se magistratu.

An. ante Chr. n. 462. An. ab urb. cond. 290

L. Aebutio, P. Servilio consulibus, grave tempus et forte annus pestilens erat urbi agrisque, nec hominibus magis quam pecori. Vix instantes sustinentibus clades, repente legati hernici nuntiant, in agro suo Aequos Volscosque, coniunctis copiis, castra posuisse: inde exercitu ingenti fines suos depopulari. Impigre promissum auxilium; duo consulares exercitus scripti, ingentesque Aequorum Volscorumque strages editae. Verum etsi accisae res erant, diuturnam quietem Aequi non dederunt. In Tusculanum hostili populatione veniunt, et Romanorum castra adorti, Minucium consulem una cum exercitu in Algido monte obsident. Quod ubi Romae nuntiatum est, tantus pavor, tanta trepidatio fuit, quanta si urbem, non castra hostes obsiderent. Nautium consulem arcessunt, in quo parum praesidii videbatur, et L. Quintius Cincinnatus dictator consensu omnium dicitur, qui rem perculsam restitueret. Lucius hic Quintius, spes unica imperii populi romani, trans Tiberim quatuor iugerum colebat agrum. Ibi ab legatis operi agresti intentus, salute data invicem redditaque,

rogatus est, ut togatus mandata senatus audiret. Admiratus, rogitansque, satin' salva essent omnia, togam propere e tugurio proferre Raciliam uxorem iubet. Qua simul (1), absterso pulvere ac sudore, velatus processit, dictatorem eum legati gratulantes consalutant; in urbem vocant; qui terror sit in exercitu exponunt. Quintius, antecedentibus lictoribus, deductus est domum; et plebis concursus ingens fuit.

Postero die dictator magistrum equitum dicit L. Tarquitium patriciae gentis, atque ad hostes profectus, per noctem exercitum omnem circumdat hostium castris. Luce prima iam circumvallati ab dictatore erant. Tum a proelio ad preces versi, hinc dictatorem, hinc consulem orare, ut inermes se inde abire sinant. Quintius, castris hostium receptis, Gracchum Cloelium ducem, principesque alios vinctos ad se adduci iubet, praedamque omnem suo militi dedit. Romae a Q. Fabio, praefecto urbis, senatus habitus triumphantem Quintium urbem ingredi iussit. Ducti ante currum hostium duces; militaria signa praelata; secutus exercitus praeda onustus. Epulae instructae dicuntur fuisse ante omnium domos; epulantesque cum carmine triumphali et solemnibus iocis (2), comissantium modo, currum secuti sunt. Quintius sextodecimo die dictatura in sex menses accepta se abdicavit.

Etsi externis bellis afflictabantur Romani; nullus tamen domi certaminum finis erat inter Patres et plebeios. Quum igitur de novis legibus ferendis

(1) Simul ac.
(2) Vide Vallaurii Hist. Crit. Litter. Latin. lib. I, c. 2.

tandem cogitassent, quae aequandae libertatis (1) essent, missi tres legati Athenas, iussique inclytas leges Solonis describere, et aliarum Graeciae civitatum instituta, mores iuraque noscere. Quum post triennium legati cum atticis legibus rediissent, inita ratio est, ut et consules et tribuni plebis magistratu se abdicarent, atque ut decemviri maxima potestate sine provocatione crearentur, qui et summum imperium haberent, et leges scriberent.

Itaque anno trecentesimo altero (2), quam condita Roma erat, iterum mutatur forma civitatis, ab consulibus ad decemviros, quemadmodum ab regibus ante ad consules translato imperio. Quum autem decemviri tabulas decem (3) summa legum aequitate prudentiaque conscripsissent, decemviros alios subrogaverunt, quorum non similiter fides nec iustitia laudata. Ergo horum ex iniustitia subito exorta est maxima perturbatio et totius commutatio reipublicae; qui duabus tabulis iniquarum legum additis, libidinose per omne imperii tempus et acerbe et avare populo praefuerunt. Nota scilicet illa res et celebrata monumentis plurimis litterarum, quum L. quidam Virginius virginem filiam propter intemperiem Appii Claudii, unius ex illis decemviris, in foro sua manu interemisset, ac moerens ad exercitum, qui tum erat in Algido, confugisset, milites bellum illud, quod erat in manibus, reliquisse, et primum montem Sacrum, deinde Aventinum armatos insedisse. Quo factum est, ut non finis solum idem decemviris, qui re-

(1) Supp. causa. Quae pertinerent ad aequandam libertatem.
(2) Supp. post.
(3) V. Hist. Crit. Litter. Latin. lib. I, c. 2.

gibus, sed causa etiam eadem imperii amittendi esset. Namque ex senatusconsulto decemviri abdicare se magistratu sunt coacti ingenti omnium laetitia.

CAPVT VI.

Decem tribuni plebis creati. - Appius in carcere sibi mortem consciscit. - Aequi Volscique vincuntur. - Canuleii rogatio de connubio Patrum et plebis. - Tribuni militares consulari potestate. - Veiens bellum. - M. Furius Camillus dictator. - In exsilium agitur. - Galli Senones. - Urbis direptio et incendium. - Galli a Camillo vincuntur.

An. ante Chr. n. 446. **An. ab urb. cond. 306.**

Extemplo, pontifice maximo comitia habente, tribuni plebis creantur; omnium vero primus A. Virginius, quo accusatore Appius in carcerem coniectus sibi mortem conscivit. Rebus urbanis ita compositis, fundatoque plebis statu, T. Quintius Capitolinus et Agrippa Furius consules Aequos et Volscos vincunt, qui ad moenia ipsa Romae populabundi accesserant, praedaque ingenti compotem exercitum, suis etiam rebus recuperatis, quae populatione agrorum amissae erant, reducunt.

Insequens annus fuit domi forisque infestus. Namque et de connubio Patrum et plebis C. Canuleius, tribunus plebis, rogationem promulgavit, qua contaminari sanguinem suum Patres, confundique iura gentium rebantur: et mentio primo sensim illata a tribunis, ut alterum ex plebe consulem liceret fieri, eo processit deinde, ut rogationem novem tribuni promulgarent, ut populo potestas esset, seu de plebe, seu de Patribus vellet,

consules faciundi. Post multas altercationes consenserunt Patres primum, ut rogatio illa de connubio ferretur; deinde ut tribuni militum consulari potestate promiscue ex Patribus ac plebe crearentur; de consulibus creandis nihil mutaretur; eoque contenti tribuni, contenta plebs fuit. Itaque anno trecentesimo decimo, quam urbs Roma condita erat, primum tribuni militum pro consulibus magistratum ineunt.

Per id tempus placuit in Veientes arma convertere, quorum instinctu Fidenates rebellaverant, et legatos Romanorum interfecerant. M. Furius Camillus dictator dictus, magistrum equitum P. Cornelium Scipionem dixit. Illud autem bellum fuit conflatum, cui finem attulit excidium Veiorum, urbis opulentissimae etrusci nominis, magnitudinem suam vel ultima clade indicantis; quod decem aestates hiemesque continuas circumsessa, quum plus aliquanto cladium intulisset, quam accepisset, postremo iam fato tum denique urgente, operibus tamen, non vi expugnata est. Romam ut nuntiatum est Veios captos, quamquam et prodigia procurata fuerant, et quantum humanis adiuvari consiliis potuerat res, ducem M. Furium, maximum imperatorem omnium legerant; tamen quia tot annis varie ibi bellatum erat, multaeque caedes acceptae, velut ex insperato immensum gaudium fuit. Ager veientanus in plebeios partim divisus, cupidos transmigrandi Veios, quos urbi Romae vel situ, vel magnificentia publicorum privatorumque tectorum ac locorum, praeponebant.

Haud ita multo post Camillus, insignis iustitia fideque, Faliscis devictis, quum in urbem rediisset,

damnatus ob praedam veientanam quindecim millibus gravis aeris (1), Ardeam in exsilium abiit, precatus ab Diis immortalibus, ut, si innoxio sibi ea iniuria fieret, primo quoque tempore desiderium sui civitati ingratae facerent. Expulso cive, quo manente, si quidquam humanorum certi est, capi Roma non potuerat, legati ab Clusinis veniunt, adversus Gallos Senones auxilium petentes. De auxilio nihil impetratum. Legati tres, M. Fabii Ambusti filii missi, qui senatus populique romani nomine agerent cum Gallis, ne a quibus nullam iniuriam accepissent, socios populi romani atque amicos oppugnarent. Legati contra ius gentium arma capiunt. Quin etiam Q. Fabius, evectus extra aciem equo, ducem Gallorum, per latus transfixum hasta occidit; spoliaque eius legentem Galli agnovere, perque totam aciem, romanum legatum esse signum datum est. Omissa inde in Clusinos ira, Galli legatos Romam mittunt questum iniurias, postulatumque, ut pro iure gentium violato Fabii dederentur. Senatui nec factum placebat Fabiorum, et ius postulare barbari videbantur. Sed tanto plus gratia atque opes apud populum romanum valuere, ut, quorum de poena agebatur, tribuni militum consulari potestate in insequentem annum crearentur.

Galli postquam acceperunt, ultro honorem habitum violatoribus iuris humani, flagrantes ira, confestim signis convulsis, Brenno duce, Romam con-

(1) Aeris gravis nomine donati fuerunt asses a pondere librali, quo primum Romae cusi sunt anno urbis conditae fere ducentesimo. Itaque quum scribimus: quindecim millia aeris gravis idem plane est ac si ponamus: quindecim millia assium.

tendunt, atque exercitum romanum apud Alliam flumen caedunt sextodecimo calendas sextiles; qui dies inter nefastos relatus, Alliensis est appellatus. Galli victores haud multo ante solis occasum ad urbem Romam perveniunt. Ubi hostes adesse nuntiatum est, militaris iuventus, duce Manlio, cum coniugibus ac liberis in Capitolium conscendit; seniores autem morti destinati, Gallorum adventum in aedibus quisque suis expectabant. Galli, senioribus trucidatis, urbeque incensa, experiri ultima, et impetum facere in arcem statuunt. Sed omissa spe per vim atque arma subeundi, obsidionem parant.

Inter haec consensu omnium placuit, Camillum dictatorem dici atque ab Ardea acciri. Quum autem fames utrinque exercitum urgeret, instantibus non obscure Gallis, haud magna mercede se adduci posse ut obsidionem relinquerent, senatus habitus, tribunisque militum negotium datum, ut paciscerentur. Inde inter L. Sulpicium, tribunum militum, et Brennum, regulum Gallorum, colloquio transacta res est, et mille pondo auri pretium populi, gentibus mox imperaturi, factum. Rei foedissimae adiecta indignitas est. Pondera ab Gallis allata iniqua, et, tribuno recusante (1), additus ab insolente Gallo ponderi gladius; auditaque intoleranda Romanis vox, vae victis esse. Sed diique et homines prohibuere, redemptos vivere Romanos. Nam forte quadam, priusquam infanda merces perficeretur, per altercationem nondum omni auro appenso, Camillus intervenit, auferrique aurum de medio iubet, denuntiatque Gallis ut se ad proelium expediant.

(1) Supp. ea pondera.

Galli, nova re trepidi, arma capiunt; sed primo concursu haud maiore momento fusi quam ad Alliam vicerant. Iustiore altero deinde proelio ad octavum lapidem Gabina via vincuntur. Ibi caedes omnia obtinuit; castra capiuntur, et ne nuntius quidem cladis relictus. Dictator, recuperata ex hostibus patria, triumphans in urbem redit; ac parens patriae conditorque alter urbis haud vanis laudibus appellatur.

Capvt vII.

Censurae initium. - Praetura urbana et curulis aedilitas. - Ludi scenici instituti. - Bellum gallicum. - T. Manlius Torquatus. - M. Valerius Corvus. - Libri sibyllini inspiciuntur. - Lectisternium.

An. ante Chr. n. 362. An. ab urb. cond. 388

Idem annus, quo tribuni militum pro consulibus magistratum iniere, censurae initium fuit, rei a parva origine ortae; quae deinde tanto incremento aucta est, ut morum disciplinaeque romanae penes eam regimen; senatus equitumque centuriae, decoris dedecorisque discrimen sub ditione eius magistratus; publicorum ius privatorumque locorum, vectigalia populi romani sub eius nutu atque arbitrio essent.

Per aliquot annos tribuni militum consulari potestate modo tres, modo quatuor, modo octo, tum patricii, tum plebeii ordinis creati. Tandem vero C. Licinius Stolo et L. Sextius, tribuni plebis, tres leges promulgavere adversus opes patriciorum et pro commodis plebis; unum de aere alieno, ut deducto eo de capite, quod usuris pernumeratum

esset, id quod superesset, triennio aequis portionibus persolveretur; alterum de modo agrorum, nequis plus quinquaginta iugera agri possideret: tertium, ne tribunorum militum comitia fierent, consulesque rursus (quorum utique alter ex plebe) crearentur. Itaque plebs consulatum L. Sextio, novo homini (1) dedit, anno ab urbe condita trecentesimo, nono et octogesimo, qui fuit insignis novis duobus magistratibus, praetura et curuli aedilitate. Hos autem sibi patricii quaesivere honores pro concesso plebi altero consulatu.

Quum ab seditione et a bello quietae res essent, ne quando a metu ac periculis vacarent Romani, pestilentia ingens orta, quam insignem maxime fecit mors quam matura, tam acerba M. Furii Camilli. Fuit enim vere vir unicus in omni fortuna; princeps pace belloque priusquam exsulatum iret; clarior in exsilio vel desiderio civitatis, quae capta absentis imploravit opem, vel felicitate, qua restitutus in patriam, secum patriam ipsam restituit. Et quum vis morbi nec humanis consiliis, nec ope divina levaretur, victis superstitione animis, ludi scenici, nova res bellicoso populo, inter alia caelestis irae placamina, instituti dicuntur. Ex Etruria vero ludiones primum acciti, qui saltantes ad tibicinis modos populum oblectarent. Etruscos ludiones postea imitati sunt iuvenes romani in festis quibusdam solemnibus post messes, iocularia inter se inconditis versibus fundentes, quos fescenninos a Fescennia, Etruriae oppido, dixerunt. Ex fescenninis hisce versibus, quibus romani iuvenes

(1) Novi homines a Romanis dicebantur, quorum maiores nec rebus gestis, nec reipublicae honoribus inclaruissent.

se invicem carperent, profluxit Satyra, mordacis comoediae quoddam genus, quod varia argumenta complectebatur (1).

Erat annus urbis conditae trecentesimus, quartus et nonagesimus, quum Galli ad tertium lapidem, Salaria via, trans pontem Anienis, castra habuere. T. Quintius Pennus, dictator, quum tumultus gallici causa iustitium edixisset, omnes iuniores sacramento adegit, ingentique exercitu ab urbe profectus, in citeriore ripa Anienis castra posuit. Pons in medio erat, neutris eum rumpentibus, ne timoris indicium esset. Proelia de occupando ponte crebra erant, nec qui potirentur, incertis viribus satis discerni poterat. Tum eximia corporis magnitudine in vacuum pontem Gallus processit, et quantum maxima voce potuit, quem nunc, inquit, Roma virum fortissimum habet, procedat, agedum, ad pugnam, ut noster duorum eventus ostendat, utra gens bello sit melior.

Diu inter primores iuvenum romanorum silentium fuit. Tum T. Manlius, Lucii filius, ex statione ad dictatorem pergit. Iniussu tuo, inquit, imperator extra ordinem nunquam pugnaverim, non si certam victoriam videam. Si tu permittis, volo isti belluae ostendere, me ex ea familia ortum, quae Gallorum agmen ex rupe Tarpeia deiecit. Tum dictator: macte virtute, inquit, Tite Manli, et nomen romanum invictum, iuvantibus diis, praesta. Armant inde iuvenem aequales; pedestre scutum capit; hispano cingitur gladio, ad propiorem habili pugnam. Armatum adornatumque adversus Gallum stolide laetum producunt; recipiunt inde se ad

(1) V. Hist. Crit. Litter. lat. lib. I, c. 3, § 1.

stationem; et duo in medio armati destituuntur. Ubi constitere inter duas acies, Gallus, velut moles superne imminens, proiecto laeva scuto, in advenientis arma hostis vanum caesim cum ingenti sonitu ensem deiecit. Romanus, mucrone subrecto, quum scuto scutum imum perculisset, totoque corpore interior periculo vulneris factus (1), insinuasset se inter corpus armaque, uno alteroque subinde ictu, ventrem atque inguina hausit, et in spatium ingens ruentem porrexit hostem. Iacentis inde corpus uno torque spoliavit, quem respersum cruore collo circumdedit suo. Inde Torquati nomen inditum. Romani alacres ab statione obviam militi suo progressi, gratulantes ad dictatorem perducunt. Hic coronam auream addidit donum, mirisque pro concione eam pugnam laudibus tulit. Et hercule tanti ea ad universi belli eventum momenti dimicatio fuit, ut Galli proxima nocte, relictis trepide castris, in tiburtem agrum atque inde in Campaniam transierint. Mox autem quum ad Tiburtium auxilium rediissent, adversus illos pugnatum a Q. Servilio Ahala dictatore haud procul porta Collina. Magna utrinque edita caede, avertitur tandem acies Gallorum.

Biennio post Galli ex Albanis montibus, quia hiemis vim pati non poterant, per campos maritimaque loca vagi populabantur. Senatus consules delectum habere iussit; Camillus autem consul, memor paternae virtutis, gallicum sibi bellum extra sortem sumit; et quum in agrum pomptinum descendisset, locum idoneum stativis delegit. Ibi quum stationibus quieti tempus tererent, Gallus

(1) Factus propinquior hosti et tutior a periculo vulneris.

processit magnitudine atque armis insignis, quatiensque scutum hasta, quum silentium fecisset, provocat, per interpretem, unum ex Romanis, qui secum ferro decernat. Marcus erat Valerius, tribunus militum, adolescens, qui haud indigniorem eo decore se, quam T. Manlium ratus, prius sciscitatus consulis voluntatem, in medium armatus processit. Minus insigne certamen humanum, numine interposito Deorum, factum. Namque conserenti iam manum Romano corvus repente in galea consedit, in hostem versus, et, dictu mirabile, tenuit non solum captam semel sedem, sed, quoties cumque certamen initum est, levans se alis, os oculosque hostis rostro et unguibus appetiit; donec territum prodigii talis visu, oculisque simul ac mente turbatum Valerius obtruncat. Corvus, e conspectu elatus, orientem petit. Inde Valerio Corvi cognomen fuit; qui mox summo favore populi tres et viginti natus annos (1) consul est renuntiatus.

Circa iacentis Galli corpus contracto certamine, pugna atrox concitatur. Iam non manipulis, sed legionibus utrinque effusis res geritur. Camillus laetum militem victoria tribuni ire in proelium iubet. Dii hominesque illi adfuere pugnae; depugnatumque haudquaquam certamine ambiguo cum Gallis est. Inter primos, quorum concursus alios exciverat, atrox proelium fuit: alia multitudo, priusquam ad coniectum teli veniret, terga vertit. Primo per Volscos falernumque agrum dissipati sunt; inde Apuliam ac mare inferum petierunt.

Exercitibus dimissis, quum et foris pax, et domi, concordia ordinum, otium esset, ne nimis laetae

(1) Supp. ante.

res essent, pestilentia civitatem adorta coëgit senatum imperare decemviris (1), ut libros sibyllinos inspicerent; eorumque monitu lectisternium (2) fuit.

LIBER III.

AB ANNO ANTE CHRISTVM NATVM CCCXXXVII AD ANNVM CCLXII.

CAPVT I.

Bellum samniticum. - Eius causa. - Samnites a Valerio victi. - Bellum latinum. - T. Manlius, consulis filius, securi percussus. - P. Decius consul se pro exercitu devovet. - Victoria Romanorum.

An. ante Chr. n. 337. An. ab urb. cond. 412.

Maiora hinc bella, et viribus hostium, et longinquitate regionum, et temporum spatio, quibus bellatum est, dicentur. Namque anno ab urbe condita quadringentesimo, duodecimo adversus Samnites, gentem opibus armisque validam, mota arma. Samnitium bellum, ancipiti Marte gestum, Pyrrhus hostis, Pyrrhum Poeni secuti sunt. Belli autem causa cum Samnitibus, Romanis, quum societate amicitiaque iuncti essent, extrinsecus venit; non orta inter ipsos est. Samnites Sidicinis iniusta arma, quia viribus plus poterant, quum intulissent,

(1) Hi fuere sacerdotes decem, quorum erat sibyllinos libros custodire, eosque, pro opportunitate, aperire atque interpretari.

(2) Lectisternium fuit sacrificii genus, in quo lecti diis sternebantur in templis, et convivium iis apponebatur.

coacti inopes ad opulentiorum auxilium confugere, Campanis sese coniungunt. Campani magis nomen ad praesidium sociorum quam vires quum attulissent, fluentes luxu ab duratis usu armorum in sidicino pulsi agro, in se deinde molem omnem belli verterunt; namque Samnites, omissis Sidicinis, ipsam arcem finitimorum, Campanos adorti sunt. In planitie, quae Capuam Tifataque interiacet, rursus acie dimicatum: adversoque proelio Campani intra moenia compulsi, quum robore iuventutis suae acciso nulla propinqua spes esset, coacti sunt ab Romanis petere auxilium, et urbem, agros, delubra deum (1), divina humanaque omnia in illorum ditionem dare.

Senatui legatos extemplo mitti ad Samnites placuit. Data mandata ut peterent pro societate amicitiaque, ut Campanis dedititiis suis parcerent: neque in agrum, qui populi romani factus esset, hostilia arma inferrent. Si leniter agendo parum proficerent, denuntiarent Samnitibus, populi romani senatusque verbis, ut Capua urbe campanoque agro abstinerent. Haec legatis agentibus in concilio Samnitium adeo est ferociter responsum, ut non solum gesturos se esse dicerent id bellum, sed magistratus eorum e curia egressi, stantibus legatis, praefectos cohortium vocarent, iisque clara voce imperarent, ut praedatum in agrum campanum extemplo proficiscerentur.

Hac legatione Romam perlata, iussu populi consules ambo cum duobus exercitibus profecti, Valerius in Campaniam, Cornelius in Samnium, ille ad Gaurum montem, hic ad Saticulam castra po-

(1) Deum, sync. deorum.

nunt. Priori Valerio Samnitium legiones occurrunt. Hic levibus certaminibus tentandi hostis causa, haud ita multos moratus dies, signum pugnae proposuit, paucis (1) suos cohortatus. Romani incredibili alacritate adhortationem prosecuti ducis, hostem adoriuntur. Stant obnisi Samnites, quamquam plura accipiunt, quam inferunt vulnera. Aliquamdiu iam pugnatum erat; atrox caedes circa signa Samnitium, fuga ab nulla dum parte erat; adeo morte sola vinci destinaverant animis. Itaque Romani quum et fluere iam lassitudine vires sentirent, et diei haud multum superesset, accensi ira concitant se in hostem. Tum primum referri pedem, atque inclinari rem in fugam apparuit; tum capi, occidi Samnis; nec superfuissent multi, ni nox victoriam magis quam proelium diremisset. Postero die, vacuis hostium castris Romanus potitur; quo se omnis Campanorum multitudo gratulabunda effudit. Mox altera pugna ad Suessulam commissa est, qua fugatus a M. Valerio Samnitium exercitus, et omnis praeda militi data. Horum certaminum fortuna Samnites pacem et foedus petere ab Romanis coëgit.

Parvo interiecto tempore a Samnitibus in Latinos versa sunt arma. Hi videlicet, aemulatione imperii, iamdiu Romanis infesti occulte bellum parabant; eoque tandem ventum est, ut legatos ad senatum mitterent, qui hasce conditiones pacis tulerunt; ut consul alter Roma, alter ex Latio crearetur; senatus pars aequa ex utraque gente esset; unus populus, una respublica fieret; imperii

(1) Supp. verbis.

eadem sedes esset, idem omnibus nomen, et Romani omnes vocarentur.

Tanta Patrum populique indignatione latinorum legatorum verba sunt accepta, ut eos proficiscentes cura magistratuum magis, qui iussu consulis prosequebantur, quam ius gentium ab ira impetuque hominum tegeret. Itaque senatus bellum decrevit. T. Manlius Torquatus et P. Decius consules, duobus scriptis exercitibus, per Marsos Pelignosque profecti, adiuncto Samnitium exercitu, ad Capuam, quo iam Latini sociique convenerant, castra locant. Ut autem disciplina militaris ad priscos redigeretur mores, edicunt ne quis extra ordinem in hostem pugnaret.

Forte inter caeteros turmarum praefectos, qui exploratum in omnes partes dimissi erant, T. Manlius, consulis filius, super castra hostium cum suis turmalibus evasit, ita ut vix teli iactu ab statione proxima abesset. Ibi tusculanis equitibus praeerat Geminus Metius, vir tum genere inter suos, tum factis clarus. Is ubi romanos equites, insignemque inter eos praecedentem consulis filium cognovit: Visne, inquit, congredi mecum, ut nostro duorum eventu cernatur, quantum eques latinus romano praestet? Movet ferocem animum iuvenis seu ira, seu detrectandi certaminis pudor. Itaque oblitus imperii paterni consulumque edicti, praeceps ad certamen agitur; latinum equo excussum, ab iugulo, ita ut per costas ferrum emineret, terrae affixit, spoliisque lectis, cum ovante gaudio turma in castra, atque inde in praetorium, ad patrem tendit. Extemplo filium aversatus consul, concionem classico advocari iussit; quae ubi frequens

convenit: Quandoquidem, inquit, tu, Tite Manli, neque imperium consulare, neque maiestatem patriam veritus, adversus edictum nostrum, extra ordinem in hostem pugnasti, triste exemplum, sed in posterum salubre iuventuti eris; disciplinam militarem, culpa tua prolapsam, poena restitues. I, lictor, deliga ad palum. Exanimati omnes tam atroci imperio, nec aliter, quam in se quisque destrictam cernentes securim, metu magis, quam modestia quievere. Postquam vero cervice caesa fusus est cruor, tam libero conquestu coortae voces sunt, ut neque lamentis neque exsecrationibus parceretur. Fecit tamen atrocitas poenae obedientem duci militem; et in ultimo etiam huius belli certamine ea severitas profuit.

Utrique consuli, priusquam educeret in aciem (1), in quiete eadem dicitur visa species viri maioris quam pro humano habitu, augustiorisque, dicentis: ex una acie imperatorem, ex altera exercitum Diis Manibus matrique Terrae deberi; illius populi victoriam fore, cuius imperator se pro exercitu devovisset. Itaque comparant inter se, ut ab utra parte cedere romanus exercitus coepisset, inde se consul devoveret pro populo romano. Hac lege instructis ordinibus, processere in aciem. Manlius dextro, Decius laevo cornu praeerat; primo utrinque aequis viribus, eodem ardore animorum gerebatur res: deinde ab laevo cornu hastati Romani, non ferentes impressionem Latinorum, se ad principes recepere. In hac trepidatione Decius consul iussit M. Valerium, pontificem publicum populi

(1) Supp. exercitum.

romani, praeire verba, quibus se pro legionibus devoveret; deinde armatus in equum insiluit, ac se in medios hostes immisit. Conspectus ab utraque acie aliquanto augustior humano visu; et omnis terror cum illo latus signa primo Latinorum turbavit, deinde in totam aciem penitus pervasit. Ubi vero corruit obrutus telis, inde iam haud dubie consternatae cohortes Latinorum fugam ac vastitatem late fecerunt. Simul et Romani, clamore sublato, principia Latinorum perturbant; hastisque ora fodientes, primo robore virorum caeso, per alios manipulos, velut inermes, prope intacti evasere; tantaque caede perrupere cuneos, ut vix quartam partem relinquerent hostium. Qui Latinorum pugnae superfuerunt, multis itineribus dissipati, quum se in unum conglobassent, Vescia urbs eis receptaculum fuit.

Inde fallacibus litteris circa Latium nomenque volscum missis, quia qui non interfuerant pugnae ad credendum temere faciliores erant, tumultuarius undique exercitus conscriptus convenit. Huic agmini Torquatus consul ad Trifanum occurrit, et priusquam castris locus caperetur, pugnatum debellatumque est; adeo enim accisae res erant, ut consuli victorem exercitum ad depopulandos agros eorum ducenti dederent se omnes Latini, deditionemque eam Campani sequerentur. Latium Capuaque agro multati. Latinus ager, privernati addito agro, et falernus, qui populi romani fuerat, usque ad Vulturnum flumen, plebi romanae dividitur. Extra poenam fuere Latinorum Laurentes, Campanorumque equites, quia non desciverant. Cum Laurentibus renovari foedus iussum, renovaturque ex

eo (1) quotannis post diem decimum Latinarum. Ita bello gesto, praemiis poenaque pro cuiusque meritis persolutis, T. Manlius Romam rediit; cui venienti seniores tantum obviam exisse constat; iuventutem et tunc et omni vita deinde aversatam eum, exsecratamque (2).

CAPVT II.

Bellum samniticum. - L. Papirius Cursor dictator. - L. Fabius Maximus, magister equitum, prospere adversus Samnites rem gerit. - Papirius abdicat se dictatura. - Samnites bellum reparant. - Romani per insidias clausi ad Furculas Caudinas. - Sub iugum missi. - Pax caudina. - Bellum de integro initum adversus Samnites.

An. ante Chr. n. 322. An. ab urb. cond. 430.

Latinis subactis, quum Samnium iam alterum (3) annum turbari novis consiliis suspectum esset, bellum ex auctoritate Patrum populus adversus Samnites iussit, et dictatorem dixit L. Papirium Cursorem, a quo Q. Fabius Maximus Rullianus magister equitum est dictus; par nobile rebus in eo magistratu gestis, discordia tamen, qua prope ad ultimum dimicationis ventum est, nobilius. Dictator cum exercitu incertis auspiciis in Samnium est profectus. Sed mox a pullario monitus, quum ad auspicium repetendum Romam rediisset, magistro equitum denuntiavit, ut se se loco teneret, neu absente se, cum hoste manum consereret.

Fabius quum post profectionem dictatoris per exploratores comperisset, perinde omnia soluta

(1) Supp. tempore.
(2) Ob filii caedem.
(3) Supp. post.

apud hostes, ac si nemo romanus in Samnio esset; seu ferox adolescens indignitate accensus, quod omnia in dictatore viderentur reposita esse, seu occasione bene gerendae rei inductus, exercitu instructo, parataque acie, cum Samnitibus conflixit. Ea vero fortuna pugnae fuit, ut viginti millia hostium caesa eo die tradantur. Aliis deinde cladibus subacti Samnites pacem a dictatore petiere; cum quo pacti, ut singula vestimenta militibus et annuum stipendium darent. Ita deductus ex Samnitibus exercitus. Dictator triumphans, urbem ingressus, se dictatura abdicavit.

Samnites, quia de pacis conditionibus agebatur, inducias annuas ab urbe retulerunt. Nec earum ipsarum sancta fides fuit; adeo postquam Papirium abiisse magistratu nuntiatum est, arrecti ad bellandum Samnitium animi sunt. T. Veturio Calvino, Sp. Postumio consulibus, bellum reparant duce C. Pontio, Pontii Herennii filio. Hic exercitu Samnitium educto, circa Caudium castra, quam potest occultissime, locat: inde ad Calatiam, ubi iam Romanorum exercitum esse audiebat, milites decem pastorum habitu mittit; pecoraque diversos, alium alibi, haud procul romanis ponere iubet praesidiis. Ubi inciderint in praedatores, ut idem omnibus sermo constet: legiones Samnitium in Apulia esse, Luceriam omnibus copiis circumsedere, nec procul abesse quin vi capiant.

Haud erat dubium, quin Lucerinis opem Romanus ferret, bonis ac fidelibus sociis. Ea modo, qua irent, consultatio fuit (1). Duae ad Luceriam

(1) Id solum consultatum, deliberatum est, qua via irent

ferebant viae; altera praeter oram superi maris, patens apertaque, sed quanto tutior, tanto fere longior; altera per Furculas Caudinas brevior; sed ita natus locus est: saltus duo alti, angusti silvosique sunt, montibus circa perpetuis inter se iuncti; iacet inter eos satis patens, clausus in medio campus, per quem medium iter est; sed antequam venias ad eum, intrandae primae angustiae sunt, et aut eadem, qua te insinuaveris, retro via repetenda, aut si ire porro pergas, per alium saltum arctiorem impeditioremque evadendum. In eum campum Romani demisso agmine, quum ad alias angustias protenus pergerent, septas deiectu arborum, saxorumque ingentium obiacentem molem invenere. Quum fraus hostilis apparuisset, citati inde retro, qua venerant, pergunt repetere viam; eam quoque clausam sua obice armisque inveniunt. Sistunt inde gradum, stuporque omnium animos, ac velut torpor quidam insolitus membra tenet; intuentesque alii alios, diu immobiles silent. Deinde querentes magis quam consultantes nox oppressit, quam cibi et quietis immemores traduxerunt.

Ne Samnitibus quidem consilium in tam laetis suppetebat rebus. Itaque universi Herennium Pontium, patrem imperatoris, virum longe prudentissimum, per litteras consulendum censent. Is ubi accepit, ad Furculas Caudinas inter duos saltus clausum esse exercitum romanum, consultus ab nuntio filii censuit, omnes inde quamprimum inviolatos dimittendos; quae ubi spreta sententia est, iterumque eodem remeante nuntio consulebatur, censuit ad unum omnes interficiendos. Neutra sententia accepta. Interea Romani victi necessitate le-

gatos mittunt, qui primum pacem aequam peterent; si pacem non impetrarent, uti provocarent ad pugnam. Tum Pontius debellatum esse respondit, et inermes cum singulis vestimentis sub iugum missurum; alias conditiones pacis, aequas victis ac victoribus fore, si agro Samnitium decederetur, coloniae abducerentur, suis deinde legibus Romanum ac Samnitem aequo foedere victurum. His tantum conditionibus paratum se esse foedus cum consulibus ferire; siquid eorum displiceat, legatos redire ad se vetuit. Haec quum legatio renuntiaretur, tantus gemitus Romanorum subito exortus est, ut non gravius accepturi viderentur, si nuntiaretur, omnibus eo loco mortem oppetendam esse. Paruerunt tamen necessitati. Ubi autem hora fatalis ignominiae advenit, primi consules prope seminudi sub iugum missi; tum ut quisque gradu proximus erat, ita ignominiae obiectus; tum deinceps singulae legiones. Circumstabant armati hostes exprobrantes eludentesque. Quum e saltu evasissent Romani, etsi velut ab inferis extracti tum primum lucem aspicere visi sunt, tamen ipsa lux omni morte tristior fuit. Pudor fugere colloquia et coetus hominum cogebat. Ingressi sero in urbem, ita se in suis quisque tectis abdiderunt, ut postero atque insequentibus diebus, nemo eorum forum aut publicum aspicere vellet. Consules creati Q. Publilius Philo, et L. Papirius Cursor iterum. Ubi ad senatum de pace caudina retulere, censuerunt Patres, sponsione iniussu populi facta non teneri populum romanum. Itaque de integro bellum initum, in quo Romani egregias de Samnitibus victorias reportarunt.

CAPVT III.

Bellum contra Samnites atque Etruscos. – Q. Aemilius Barbula in Etruscos confligit ancipiti proelio. – Q. Fabius consul. – Etrusci victi inducias in triginta annos impetrant. – Bellum adversus Etruscos, Umbros, Gallos et Samnites. – Fabius eos fundit fugatque. – Decius consul, patris exemplum secutus, se devovet pro exercitu romano. – Curius Dentatus bello samnitico finem imponit. – Triumviri capitales. – Plebis secessio in Ianiculum.

An. ante Chr. n. 309. An. ab urb. cond. 443

Profligato Samnitium bello, priusquam ea cura decederet Patribus, omnes Etruriae populi, praeter Aretinos, ad arma ierunt, ab oppugnando Sutrio, quae urbs socia Romanis, velut claustra Etruriae erat, ingens orsi bellum. Eo alter consulum, Q. Aemilius Barbula, cum exercitu ad liberandos obsidione socios venit. Concurrunt infensis animis; numero hostis, virtute Romanus superat; anceps proelium multos utrinque et fortissimum quemque absumit; nec prius inclinata res est (1), quam secunda acies romana ad prima signa, integri fessis successerunt. Etrusci, quia nullis recentibus subsidiis fulta prima acies fuit, ante signa, circaque omnes ceciderunt. Post occasum solis signum receptui datum est; nocte ab utroque in castra reditum; nec deinde quidquam eo anno rei memoria dignae apud Sutrium gestum est.

Q. Fabius, insequentis anni consul, bellum ad Sutrium excepit. Consuli imis montibus (2) exercitum ducenti ad ferendam opem sociis, tentan-

(1) Nec prius hostes Romanis cesserunt.
(2) Ad radices montium.

dasque munitiones, si qua posset (1), acies hostium instructa occurrit. Quorum ingentem multitudinem quum ostenderet subiecta late planities; consul ut loco paucitatem suorum adiuvaret, flectit paullulum in clivos agmen; inde signa in hostem obvertit. Romanorum impetum non tulerunt Etrusci, versisque signis, fuga effusa castra repetunt. Equites romani praevecti per obliqua campi, quum se fugientibus obtulissent, omisso ad castra itinere, montes petunt; inde inermi pene agmine ac vexato vulneribus in silvam Ciminiam ab Etruscis penetratum, quae erat tum invia, et nulli ad eam diem, ne mercatorum quidem adita. Consul hostes persecutus, caedit fugatque, et late depopulato agro, victor in castra redit.

Hac expeditione consulis motum latius, quam profligatum bellum; vastationemque sub Ciminii montis radicibus iacens ora senserat, conciveratque indignatione non Etruriae modo populos, sed Umbriae finitima. Itaque quantus non unquam antea exercitus ad Sutrium venit. Sed commisso proelio, res romana superior fuit; et caesa aut capta hostium millia ad sexaginta. Itaque a Perusia, a Cortona et Aretio, quae ferme capita Etruriae populorum ea tempestate erant, legati pacem foedusque ab Romanis petentes, inducias in triginta annos impetraverunt.

Neque ita multo post, Romanis in Etruria iterum bellum ingens multis ex gentibus concitur; cuius auctor Gellius Egnatius ex Samnitibus erat. Tusci fere omnes conciverant bellum; traxerat contagio proximos Umbriae populos; et gallica auxilia mer-

(1) Si qua parte posset.

cede sollicitabantur; omnis ea multitudo ad castra Samnitium conveniebant. Huius belli rumor omnium animos ad Q. Fabium consulem convertit; qui cum Decio collega ad hostes profectus, multis proeliis fudit, et pacem tandem petere coëgit. Nec incruenta victoria fuit. Namque et complura Romanorum millia caesa; et Decius consul, patrio more, se pro exercitu romano devovens, in confertissimam hostium aciem concitat equum, inferensque se ipse infestis telis est interfectus.

Tandem vero Manius Curius Dentatus consul, Samnitibus caesis, et Sabinis qui rebellaverant, in deditionem acceptis, samniticum bellum confecit, quod quinquaginta ferme annos Romanorum virtutem fatigavit. Per haec tempora triumviri capitales primum creati sunt, qui carceris custodiam haberent; plebs autem, post graves seditiones, ob violentiam et crudelitatem feneratorum in Ianiculum montem secessit; unde a Q. Hortensio dictatore ad concordiam et lares fuit revocata.

CAPVT IV.

Romana classis a Tarentinis deprimitur. – Thurium diripitur. – Bellum tarentinum. – Pyrrhus Tarentinis auxilio venit. – Pugnat adversus Romanos ad Heracleam. – Ad Asculum. – Indignum facinus medici Pyrrhi. – Pyrrhus in Siciliam traiicit. – In Italiam redit. – A Romanis victus Italia excedit. – Tarentus diruta. – Populi agro multati. – Picentes, Salentini, Volsinienses subacti. – Argentum in urbe signatum.

An. ante Chr. n. 279. An. ab urb. cond. 471.

Fractis Samnitium opibus, conflatum est bellum adversus Tarentinos. Hi populos in Romam conspirantes nullis ad hanc diem auxiliis publice iu-

verant. Aliorum laboribus, quam suo discrimine lacessi Romanorum arma sapientius arbitrabantur. Sed accidit casu, ut dissimulata hactenus Tarentinorum consilia detegerentur. Forte ludos in theatro, iuxta portum sito, spectabant, quum L. Valerius duumvir navalis (1), et decem romanae naves apparent, portum ingressurae. Tarentini classem hostili animo missam interpretantur, et subito conclamant, nefas esse Romanis, ex foedere, Lacinium promontorium praeternavigare. Nec mora; concurritur ad arma. Romani fugae se committunt; sed Tarentini celeriter insecuti, quinque naves circumventas in portum redigunt. Ex his deprimuntur cum ipso duumviro quatuor; una capitur; homines aetate et robore militari interficiuntur; caeteri sub corona veneunt. Mox Thurinis bellum inferunt, causam interponentes, eorum opera Romanos in ea loca venisse. Urbs in potestatem redacta diripitur; praesidium romanum, pacta incolumitate, dimittitur.

Nuntio Romam perlato, legatio, quae de iniuriis quereretur, decreta, mandatumque legatis, ut captos restitui, Thurinis res ablatas reddi, exsules reduci, rerum istarum auctores dedi postularent. More graecarum urbium in theatro concionem populi cogere solebant Tarentini. Huc admissi legati turbam ebrietate lascivientem repererunt; et L. Postumius, princeps legationis, ludibriis petulantissimae multitudinis exceptus, acriores odiorum causas Romam retulit. Itaque ad Aemilium consulem, qui in Samnium ad exercitum profectus fuerat, scriptae sunt

(1) **Duumviri navales** appellati fuerunt qui creabantur classis ornandae reficiendaeque causa.

litterae, ut castra in tarentino agro poneret, et nisi de illatis iniuriis satisfaceret populus tarentinus, eum iusto pioque bello persequeretur.

Tarentini viribus impares auxilium a Pyrrho, Epirotarum rege, petierunt, quo maiorem animi fortitudine, solertia consiliorum, scientia rei militaris aetas illa non tulit. Hic Alexandri Magni aemulatione, vastissimum imperium spe complexus, ipsis quasi fatis invitantibus, ad perficienda quae animo destinasset, pandi sibi viam existimavit. Itaque cum parva sed electa manu in Italiam profectus, apud Heracleam primum Romanorum legiones fudit. Constat vero inter omnes, flore ducum militumque suorum eam victoriam Pyrrho constitisse; exceptaeque feruntur voces dicentis: non minus victum se eo proelio, quam victorem discessisse. Quo factum est, ut Cineam Romam mitteret, qui conditionibus aequis pacem a senatu peteret. Sed Patres, Appium Claudium severissimae sententiae auctorem secuti, decrevere bellum prosequendum esse, et Cineam eodem die urbe excedere iusserunt. Pace desperata, conversi ad bellum animi, atque intenta cura facti utrinque apparatus hiemem satis negotiosam habuerunt.

Ineunte vere Pyrrhus, contractis sociorum copiis, in Apuliam venit; ibique ad Asculum tanta contentione dimicatum est, ut quindecim ferme hominum millia utrinque occubuerint. Anno insequente novi consules C. Fabricius Luscinius, Q. Aemilius Papus ad exercitum venerunt. Quo audito Pyrrhus copias eduxit, et observare hostium consilia instituit. Quum utrique castra locis haud valde distantibus haberent, medicus Pyrrhi furtim ad Fa-

bricium venit, pollicitus, se regem veneno sublaturum, si praemium eius rei dignum daretur. Fabricius indignum facinus aversatus, regem monuit, uti ageret circumspectius, videretque quorum hominum quamque fidelium ministerio uteretur. Pyrrhus tantae virtutis experimento commotus; simul quod bellum haud laeto iam animo prosequeretur, inducias cum Romanis pactus est, ut Syracusanis auxilio veniret, quos iamdiu Carthaginienses obsidebant. Sic enim et romanum bellum honeste declinari posse sperabat, et imperium insulae locupletissimae occupari.

Exercitu in insulam traiecto, magna Siculorum alacritate exceptus est Pyrrhus, oppida sua, copias, pecunias, naves certatim tradentium. Erat enim ea tempestate magna regis fama; et Siculi per annos sane multos externa simul et civilia bella, et nocentius utrisque malum, herile imperium passi, vel mediocrem aliquem principem gratantibus animis laturi videbantur. Sed tamen ipse paullo post ad exigendas ab invitis pecunias, ad potentiorum caedes versus, atque ex priore lenitate ad superba imperia et supplicia praeceps, immane odium in se concitavit. Itaque, aversis animis, complures populi ab eius amicitia desciscentes, ut cuique opportunum erat, alii Poenis, alii Mamertinis se applicuerunt. Inter haec non ingrata regi sociorum italicorum legatio venit, quae caeteris amissis, vix paucas urbes hostem a moenibus aegre submovere questa, honestam discedere cupienti causam praebuit, ut partibus laborantibus auxilio futurus, non eiectus ex insula, in Italiam reverti voluisse videtur.

Romani, quum vehementer urgeret pestilentia, Pyrrhique in Italiam reditu belli timor crevisset, nihil adversus ista vel humani praesidii, vel divini intentatum reliquerunt. Manius Curius Dentatus et L. Cornelius Lentulus, consules, conscriptis legionibus, ambo in hostem profecti sunt. Lentulus in Lucaniam irruit; Samnites adortus est Curius. Excitus ad eius rei famam Pyrrhus, lustrato Tarenti exercitu suo, peditum ferme viginti millia, tria equitum recensuit. Cum his et delecta Tarentinorum iuventute ad Maleventum urbem, Romanos adortus, infeliciter dimicavit. Magna haec pugna et numero caesorum et victoriae fructu fuit. Siquidem cum Pyrrho est debellatum, cui ex Italia tandem excedendum fuit.

Superatis post multa certamina validissimis hostibus, anno urbis conditae quadringentesimo, septimo et septuagesimo, Romani Tarentum urbem in ditionem suam redegerunt. Moenia diruta, et tributum civibus impositum. Per haec ferme tempora Samnites, Lucanos, Bruttios et caeteros populos, qui arma adversus Romanos tulerant, multari parte finium placuit Coloniae Ariminum et Beneventum deductae. Domiti Picentes; Salentini et Volsinienses Picentibus additi. Sic parta per universam Italiam pace, et auctis iam opibus, in urbe signandi argenti primum initium fuit; quum ad eam diem aes tantummodo Romae in promiscuo usu fuisset. Tunc enimvero denarii et quinarii ex argento cusi, aliique minores nummi, qui quum dupondio et semisse aestimarentur (1), ex re sestertii appellati.

(1) Qui quum valerent duobus assibus et semisse.

LIBER IV.

AB ANNO ANTE CHRISTVM NATVM CCLXII AD ANNVM CCXXIII.

CAPVT I.

Bellum punicum primum. - Messana urbs a Hierone, Syracusanorum rege, obsessa. - Mamertini auxilium a Romanis petunt. - Hiero victus foedus init cum populo romano. - Complura Carthaginiensium oppida in Sicilia capta. - In his Agrigentum.

An. ante Chr. n. 262. An. ab urb. cond. 488.

Subacta Italia, Romani bellum contra Carthaginienses gesserunt. Quum enim uterque populus orbis terrarum imperium pariter affectaret, omnino iam fieri non poterat, quin opportunitatem nactus, vires suas adversus aemulam gentem exprómeret. Neque occasio defuit. Ea tempestate Siciliam, qua (1) punicae ditioni subiecta non erat, maiori ex parte possidebat Hiero, huiusce nominis secundus, rex Syracusanorum; reliqua Mamertinorum armis tenebantur. Hi sua defendere non contenti, punicos et syracusanos fines incursabant; complura Siciliae oppida, quo vastationem agrorum et alia incommoda redimerent, vectigal pendere cogebant; postremo, capta Messana, Hieronis arma in se concitaverant. Quum autem re male gesta adversus Hieronem, rebus suis iam diffiderent, diversi (2), pars auxilium a Romanis petierunt, alii punicum praesidium in Messanam urbem admisere.

Romani veriti, ne Mamertini, ab ipsis relicti,

(1) Qua parte.
(2) Diverso modo.

Poenorum opes respecturi essent, et brevi Sicilia tota Carthaginiensium foret, auxilium statim petentibus ferendum esse censuerunt. Itaque Appius consul sine mora C. Claudium, tribunum militum, cum paucis navibus praemittens, observare occasionem, et siqua obvenisset, in Siciliam transire iussit. Hic quum Rhegium venisset, in casum dare triremes non ausus, quod longe maiori Poenorum classe fretum obsideretur, piscatoria navi conscensa, Messanam vectus est. Ibi cum Mamertinis, ut praesens usus postulabat, collocutus, quum, Poenis reclamantibus, parum proficeret, re infecta rediit. Sed paullo post quum in portu rhegino esset Claudius, nuntii ab Hannone, Carthaginiensium duce, ad ipsum venerunt, hortantes ad pacem et foedera servanda. Quum autem Claudius nullas conditiones admitteret, nisi punicum praesidium Messana deduceretur; se vero, exclamavit Hanno, non passurum, ut vel manus in siculo mari abluerent Romani. Neque tamen prohibere potuit, quin Claudius in Siciliam traiiceret, ac punicum praesidium Messana expelleret.

Haud ita multo post Appius consul, quum forte non longe ab eo loco, ubi castra erant Syracusanorum, appulisset, suos cohortatus, certamque victoriam ostentans, hostes nil tale suspicantes opprimit. Fit aliquamdiu certamen acre. Hiero victus copias castris eduxit, et contento itinere Syracusas refugit. Deinde Romani diversas insulae partes obeundo, Poenis et Syracusanis, quotiescumque congredi erant ausi, profligatis, terrorem late sparsere; tantaque fortunam sequentium felicitas, tantusque impetus fuit, ut brevi septem et

sexaginta oppida romanae fidei se permitterent. Quibus rebus animadversis, Hiero amicitiam cum Romanis inire constituit, legatosque cum mandatis de pace componenda ad consules misit.

Non displicebat Romanis Hieronem a societate punica disiungere, maxime ut res annonaria suis legionibus expeditior esset. Itaque foedus in annos quindecim pactum, quod deinceps perpetuo mansit. Romani, quum Hierone iam socio et commilitone uterentur, non diu morati, Carthaginiensium oppida complura subegerunt. Ad extremum, magna cum utilitate gloriaque populi romani, Agrigentum etiam captum, septimum intra mensem, quam (1) obsideri coeptum fuerat.

Capvt II.

C. Duilius consul adversus classem Poenorum prospere pugnat. - Corsica et Sardinia a Romanis captae. - M. Attilius Regulus bellum in Africam transfert. - A Xanthippo victus in manus hostium venit. - Romanae classis naufragium. - Regis Hieronis in Romanos humanitas.

An. ante Chr. n. 258. An. ab urb. cond. 492.

Quartus iam annus belli carthaginiensis exierat, nec virtutis aut fortunae Romanos poenitebat; proeliis enim omnibus victores discesserant; opulentas urbes pugnando ceperant; aliae conditionibus in potestatem venerant. Sed quando bellum in insula gerebatur, neque commeatus, nec supplementa, quum opus esset, submitti poterant; et naves Carthaginiensium liberis et improvisis appulsibus non modo siculas urbes, ad mare positas, tuto vexabant, sed etiam Italiae oram subinde

(1) Postquam.

vastantes, detrimentum et ignominiam Romanis afferebant. Itaque re diligenter perpensa, senatui populoque romano placuit, ut classe comparata, non terra tantum, uti coeperat, dimicaretur cum Poenis, sed etiam maritimi belli fortuna tentaretur.

Haec prima romanae urbis de navalibus rebus seria cogitatio fuit. Cura classis aedificandae mandata Cn. Cornelio Scipioni et C. Duilio, qui consulatum recens iniverant. Navis erat una quinqueremis, quam Claudius, quo tempore freti transitum meditabatur, pugnandi cupidine propius ad litus perlatam, locisque vadosis impeditam, pedestri manu ceperat. Huius ad exemplum, classem aedificari consules iussere, tantoque studio institerunt operi, ut sexagesimum intra diem, quam caesa materia fuerat, classis centum sexaginta navium in anchoris staret. Quum autem videret Duilius, naves suas, rudi opere constructas, a punicis velocitate longe superari, manus quasdam ferreas excogitavit, quae magnum momentum ad victoriam attulerunt. Siquidem romani milites, iniectis in Carthaginiensium naves huiusmodi machinis, quas corvos appellarunt, ad se facile pertrahebant, hostesque cogebant quasi in solido decernere. Sic facilis Romanorum victoria fuit, celeriterque mersae sunt naves punicae quatuordecim, captae una et triginta cum septem hominum millibus. Hoc eventu, C. Duilio consule, adversus Poenos iuxta Liparearum insulas certatum est; unde magnus Romanis etiam praedae fructus, sed longe amplissimus gloriae famaeque fuit.

Postea quotquot ferme essent in Sicilia Cartha-

giniensium oppida a Romanis capta. L. Cornelius consul in Corsicam et Sardiniam profectus, magnarum urbium excidio incolas terruit, adeoque terra marique Poenos expugnavit, ut iam victoriae nihil, nisi Africa ipsa, restaret. Tunc enimvero M. Attilius Regulus bellum in Africam transferre iussus, quum terrorem nominis sui late circumtulisset; quumque magnam vim iuventutis, ducesque ipsos aut cecidisset aut haberet in vinculis, etiam ipsum regni caput, Carthaginem urgebat obsidione, ipsisque portis inhaerebat. Unde factum est, ut Carthaginienses quosdam ex principibus ad M. Regulum mitterent, pacem petituros. Sed quum a consule, qui certam in manu victoriam se habere putabat, intolerabiles conditiones ferri viderent, re infecta discesserunt.

In illis rerum adiunctis punicae naves, quae ad militem in Graeciam transferendum missae fuerant, collecta mercenariorum (1) haud exigua manu, redierunt. In his Xanthippus quidam erat, genere lacedaemonius, qui patriae disciplinae, quam edoctus a pueritia fuerat, usum rei militaris adiunxerat. Huic, homini peregrino, cum caeteri civitatis principes, tum ipsi duces imperium exercitus sui, laudabili modestia, deferendum consentiunt. Xanthippus, accepta potestate, quotidie milites campestribus exercitiis, ad servandos permutandosve ordines, ducumque iussa celeriter exsequenda adsuefacit, et melioris deinde successus fiducia implet. Tota civitas recreata, ex rebus fere desperatis ad expectationem futuri erigitur.

Rebus ita comparatis, Xanthippus cum duodecim

(1) Supp. militum.

fere millibus peditum, quatuor equitum et centum elephantis adversus Romanos progreditur, qui ultima pernicie fuerunt devicti. M. Regulus cum militibus quingentis vivus in manus hostium venit. Ex omni romano exercitu non amplius duo millia hominum incolumes evaserunt; ex Poenis pauci admodum sunt desiderati. Audito infelicis proelii nuntio, Romani incredibili diligentia fecerunt, ut aestatis initio naves iam trecentas quinquaginta instructas et ornatas haberent; cum quibus in Africam profecti novas sibi victorias terra marique pepererunt. Sed africa regione quaqua versus vastata, cum fames timeretur, Siciliam repeti placuit. Dum revehuntur in Italiam, tantam tempestate cladem sunt perpessi, ut vix octoginta naves servari potuerint, et cadaveribus hominum et fractis navium tabulis, a Camarinensium ora Pachynum usque, litus omne compleretur. In tanto rerum discrimine non leve solatium afflictis Romanis attulit regis Hieronis humanitas, qui benigne exceptos Messanam usque deduxit incolumes.

CAPVT III.

Carthaginienses a Metello ad Panormum victi. – Regulus Romam missus. – Ipsius fortitudo. – Lutatius consul Poenos vincit ad Aegates insulas. – Finis belli punici primi. – Bellum illyricum. – Galli insubres fusi.

An. ante Chr. n. 248. An. ab urb. cond. 502.

Interea Romani, classe refecta, et conscriptis sociis navalibus, L. Metello imperium prorogarunt, eumque proconsulem bellum in Sicilia administrare iusserunt. Hasdrubal, Carthaginiensium dux,

ratus Romanos metu teneri, Lilybaeo egressus, difficili per Selinuntiorum fines itinere, panormitanum agrum attigit, ibique castra metatus est. Forte Panormi erat cum exercitu proconsul, ut aestate iam adulta, sociis ad demetendas fruges condendasque praesidio esset. Hic ubi animadvertit, plus temeritatis quam consilii in expeditione Poenorum esse, quo magis ad ineptam fiduciam incautos proliceret, metum simulans, intra munimenta urbis se continuit. Itaque ferocior factus Hasdrubal, promotis castris, agrum panormitanum vastat, fruges corrumpit, et populationem ad ipsos urbis muros profert. Tûm vero tempestivum proconsuli visum, emissis expeditis (1), hostes ad dimicandum invitare; cessitque res adeo feliciter, ut aliis aliisque subinde prorumpentibus, tandem totus Hasdrubalis exercitus e castris educeretur. Ibi Romani, aperta porta erumpentes, magnam hostium pugnantium, magnam fugientium caedem faciunt. Viginti millia Carthaginiensium eo proelio caesa dicuntur. Elephanti primo sex et viginti, reliqui omnes mox capti et Romam missi. Hasdrubal ex clade Lilybaeum evasit; sed Carthagine absens damnatus; quumque rediisset, comprehensus et supplicio affectus est.

Poeni caesos exercitus suos, elephantos abactos, totam Siciliam, praeter Lilybaeum et Drepanum, amissam, Romanosque, classe iterum instructa, mari terraque plurimum posse reputantes, ad pacis consilia se retulerunt, in eamque cogitationem venere, ut per M. Regulum vel pacem, vel, quod secundum pacem gratissimum erant habituri, per-

(1) Supp. militibus.

mutationem captivorum impetrarent. Hic vero iuvat Reguli fortitudinem atque animi magnitudinem notare. Namque iuratus missus est ad senatum, ut, nisi redditi essent Poenis captivi, rediret ipse Carthaginem. Quum venisset in senatum mandata exposuit; reddi captivos negavit esse utile; illos enim adolescentes esse et bonos duces; se iam confectum senectute. Cuius quum valuisset auctoritas, captivi retenti sunt, ipse Carthaginem rediit; neque eum caritas patriae retinuit, nec suorum. Neque vero tum ignorabat, se ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci ; sed iusiurandum conservandum putabat.

Profectis ab urbe, una cum Regulo, Carthaginiensium legatis, maximae Romanorum copiae ex novo delectu in Siciliam missae. Attamen Carthaginienses Lilybaeum et Drepanum tenuerunt, hostium classe quasi ad internecionem deleta. Romani iam sumptibus et iacturis exhausti, a maritimo bello sibi abstinendum censuerunt. At sexennio post, quum incredibili pene Carthaginiensium constantia diutius bellum trahi viderent, C. Lutatium consulem cum classe trecentarum navium, praeter pontones aliaque navigia septingenta, Siciliam petere iusserunt. Huc advenienti Poenorum classis adesse nuntiatur. Naves erant quadringentae, quae commeatum ad exercitum portabant, cui praeerat in Sicilia Hamilcar, Annibalis pater. Dux classis erat Hanno, nobilis Carthaginiensis, qui magno studio id agebat, ut naves onere levatas acceptis ab Hamilcare strenuis viris compleret, cumque Romanis confligeret. At Lutatius, optimum ratus Hannonis adventum praevertere, et cum eius classe congredi

oneribus impedita, ante diem septimum idus martias ad Aegates insulas cursum intendit. Postero die, conspectis hostium navibus, quae recta via iter suum prosequebantur, e portu progreditur. Poeni viam sibi interclusam cernentes, aciem instruunt, vi perrupturi. Sic utrinque, signo dato, acriter concurritur. Graves et propemodum immobiles Poenorum naves arbitrio suo romanae leves et expeditae assultabant. Itaque in tam impari certamine non longa victoriae mora fuit. Omnes ferme Carthaginiensium naves captae aut demersae. Ex romana classe duodecim sunt desideratae. Hanno Carthaginem revectus, poenas infelicitatis suae supplicio capitis luit. Poeni victi pacem hac lege impetrarunt, ut omnibus insulis decederent, quae sunt inter Italiam et Africam, et certum populo romano vectigal per viginti annos penderent.

Quiescentibus Poenorum armis, bellum Illyriis indictum, qui infesti in mare hadriaticum incumbebant; subactique in deditionem venerunt. Mox Galli insubres aliquot proeliis fusi; et M. Claudius Marcellus consul, occiso Viridomaro, illorum duce, opima spolia (1) retulit.

(1) Opima spolia dicebantur quae summus belli dux, occiso hostium imperatore, retulisset.

CAPVT IV.

Causae belli punici secundi. - Romani vincuntur ad Ticinum, ad Trebiam, ad Trasimenum. - Q. Fabius Maximus prodictator creatus. - Romanorum clades ad Cannas. - Annibal in Campaniam divertit. - Philippi, Macedonum regis, legati ad Annibalem missi. - Cn. et P. Scipionum res bene gestae in Hispania. - Syracusae a Marcello captae. - Carthago nova a P. Cornelio Scipione expugnata. - Q. Fabius Maximus Tarentum capit. - Hasdrubal victus. - Syphax et Poeni a Scipione devicti. - Annibal Carthaginem revocatus. - Eius colloquium cum Scipione. - Pax firmata cum Poenis.

An. ante Chr. n. 217. An. ab urb. cond. 533.

Vix quadriennium pax inter populum romanum et Carthaginienses mansit. Hos enim angebant Sicilia Sardiniaque amissae, et stipendium etiam insuper impositum. Itaque Annibal, qui novem annos natus, ab Hamilcare patre altaribus admotus, tactis sacris iuraverat, se, cum primum posset, hostem fore populo romano, ex quo die dux Carthaginiensium est declaratus, coepit causam belli quaerere. Iamque nihil prolatandum ratus, Saguntum, Hispaniae urbem Romanis foederatam, evertit. Sagunti excidio nuntiato, Romani legatos in Africam mittunt ad percunctandos Carthaginienses, publicóne consilio Annibal Saguntum oppugnasset, et si, id quod facturi videbantur, faterentur ac defenderent publico consilio factum, ut indicerent populo carthaginiensi bellum. Postquam Carthaginem venerunt, quum senatus datus esset, tergiversantibus Poenis, dux legationis Q. Fabius, sinu ex toga facto: hic, inquit, vobis bellum et pacem portamus; utrum placet sumite. Sub hanc vocem haud minus ferociter, daret utrum vellet, succlamatum

est; et quum is iterum, sinu effuso, bellum dare dixisset, accipere se omnes responderunt, et quibus acciperent animis, iisdem se gesturos.

Vere primo Annibal per Pyrenaeos montes exercitum traducit; mox traiecto Rhodano et alpibus superatis, in Italiam degreditur. Quantae copiae transgresso in Italiam Annibali fuerint, nequaquam inter auctores constat. Qui plurimum, centum millia peditum, viginti equitum fuisse scribunt; qui minimum, viginti millia peditum, sex equitum cum aliquot elephantis. P. Scipionem consulem apud Ticinum amnem, Sempronium apud Trebiam, Flaminium apud Trasimenum lacum profligat.

Tot cladibus afflicti Romani ad remedium iamdiu nec desideratum neque adhibitum, dictatorem dicendum confugiunt. Prodictatorem populus creat Q. Fabium Maximum, qui Annibalis impetum mora frangit. At mox temeritate ac praepropero ingenio Terentii Varronis consulis, cum maxima strage adversus Annibalem ad Cannas pugnatum est; caesaque eo proelio quinque et quadraginta millia peditum romanorum, duo millia septingenti equites cum Paullo consule et senatoribus octoginta, consularibus atque praetoriis aut aediliciis triginta. Post tantam victoriam dubium non erat, quin die quinto Annibal in Capitolio epulari potuerit, si (quod poenum illum dixisse Maharbalem ferunt) Annibal, quemadmodum sciret vincere, sic victoria uti scivisset. Sed Annibali nimis laeta res est visa, maiorque, quam ut eam statim capere animo posset. Itaque potiusquam Romam peteret, in Campaniam divertit, cuius deliciis mox et ipse et exercitus ardor elanguit.

Caeterum quanto maior cannensis clades superioribus cladibus fuerit, vel ea res indicio est, quod qui sociorum ad eam diem firmi steterant, tum labare coeperunt, nulla profecto alia re, quam quod desperaverant de imperio. Inter quos Philippus, Macedonum rex, legatos ad poenum ducem mittit, foedusque cum eo et amicitiam iungit. Nunquam sane propius excidio Roma fuit; sed Annibalis mora et Romanorum constantia saluti fuerunt urbi atque imperio. Cnaeus et Publius Scipiones in Hispaniam missi, pene totam Carthaginiensibus eripiunt; Marcellus autem, cui Sicilia provincia decreta fuerat, Syracusas, licet Archimedis ingenio defensas, expugnat, et caetera in Sicilia tanta fide atque integritate componit, ut non modo suam gloriam, sed etiam maiestatem augeat populi romani. Per eosdem ferme dies victoria de Macedonibus, ad Apolloniam relata, regem Philippum a rerum italicarum cogitatione subito avertit.

Interea in Hispaniam, ubi, interfectis duobus Scipionibus, nullus iam dux romanus erat, P. Cornelius mittitur, illius, qui ibidem bellum gesserat, filius, quatuor et viginti annos natus. Is Carthagine nova poti us, magnam auri atque argenti vim capit, et nobilissimos obsides civitatum Hispaniae. Deinde Hasdrubalem victum Hispania expulit, et magna praeda est locupletatus, captivis hispanis sine pretio dimissis.

Dum haec in Hispania geruntur, Q. Fabius Maximus consul Tarentum cepit, in qua ingentes copiae Annibalis erant. Quinque et viginti millia captivorum vendidit, praedam militibus dispertivit, pecuniam in fiscum retulit. Quo facto complures

Italiae civitates, quae ad Annibalem defecerant, se Romanis rursus dediderunt. In hisce rerum adiunctis Annibal desperans, Hispaniam contra Scipionem ducem diutius posse retineri, Hasdrubalem fratrem in Italiam cum omnibus copiis evocavit. Is veniens ab Appio Claudio Nerone et M. Livio Salinatore consulibus, apud Senam, Piceni urbem, fusus atque interfectus est.

P. Cornelius Scipio, recepta Hispania, Romam reversus consulatum obtinuit. Postea in Africam missus Massinissam, regem Numidarum, in societatem recepit; ac Syphacis et Carthaginiensium castra una nocte perrupit et incendit. Haec clades Carthaginiensibus tantum terroris attulit, ut Annibalem ad tuendam patriam revocarent, qui frendens gemensque, ac vix lacrimis temperans mandatis paruit. Dicitur saepe Italiae littora respexisse, deos hominesque accusans, in se quoque ac suum ipsius caput exsecratus, quod non cruentum ab cannensi victoria militem Romam duxisset. Iamque Adrumetum venerat; ubi quum accepisset, omnia circa Carthaginem hostium armis obtineri, magnis itineribus Zamam contendit, quae quinque dierum iter ab Carthagine abest. Inde nuncium ad Scipionem misit, ut colloquendi secum potestatem faceret. Quum Scipio colloquium haud abnuisset, congressi sunt non suae modo aetatis maximi duces, sed omnis ante se memoriae, omnium gentium cuilibet regum imperatorumve pares. Paullisper alter alterius conspectu, admiratione mutua prope attoniti, conticuere. Quum autem de pacis conditionibus inter illos non convenisset, ex colloquio ad suos se receperunt, renuntiantes, armis decernendum esse,

habendamque eam fortunam, quam dii dedissent. Commisso proelio, Annibal victus ad Antiochum, Syriae regem, profectus est.

Carthaginienses metu perculsi pacem petunt. Conditiones pacis dictae, ut perfugas fugitivosque et captivos omnes redderent Romanis, et naves rostratas, praeter decem triremes, traderent, elephantosque quos haberent; bellum neve in Africa, neve extra Africam, iniussu populi romani gererent; Massinissae res redderent; decem millia talentum (1) argenti, descripta pensionibus aequis in annos quinquaginta solverent. Pace terra marique parta, Scipio Romam pervenit, triumphoque omnium clarissimo urbem est invectus.

Capvt V.

Bellum macedonicum. – Laevinus consul. – T. Quintius Flamininus Philippum vincit. - Pax Philippo data. – Perseus, Philippi filius, bellum renovat. – A L. Aemilio victus captusque. – Bellum punicum tertium. – Carthago eversa a P. Scipione Africano minore.- Pseudophilippus a Metello profligatus.

An. ante Chr. n. 200. **An. ab urb. cond. 552.**

Pacem punicam bellum excepit contra Philippum, Macedonum regem, qui Annibalem adversus Romanos bellantem sibi foedere sociaverat. Et primo quidem, Laevino consule, Romani ionium mare ingressi, tota Graeciae littora victores peragrarunt. Mox missus ad bellum T. Quintius Flamininus consul regem Philippum ad Cynoscephalas profligavit; cui postea petenti pax data in has leges est. Omnes

(1) **Talentum fuit apud Graecos pecuniae summa, efficiens 5,710** ***franchi*****. Talentum, casus patrius numeri multitudinis.**

Graecorum civitates, quae in Europa, quaeque in Asia essent, libertatem ac suas leges haberent; quae earum sub ditione Philippi fuissent, praesidia ex his Philippus deduceret; captivos transfugasque redderet Philippus Romanis, et naves omnes tectas traderet; ne plus quingentis armatorum haberet, neve elephantum ullum; bellum extra Macedoniae fines ne iniussu senatus gereret; mille talentum daret populo romano: dimidium praesens, dimidium pensionibus decem annorum.

Nec tamen, composita pace, quievit Philippus, bellum rursus gesturus, si diutius vixisset. Regnum vero macedonicum adeptus Perseus filius, non iustum modo coepit apparare bellum regio animo, sed per omnia clandestina grassari scelera latrociniorum ac veneficiorum in Romanos. Bello praepositus L. Aemilius Paullus Perseum ingenti proelio, apud urbem, nomine Pydnam, in Macedonia, fusum castris exuit, deletisque eius copiis, destitutum omni spe coëgit in Macedoniam, indeque in Samothracam insulam profugere, ubi templi religioni se supplicem credidit. Ad eum Cn. Octavius praetor, qui classi praeerat, pervenit, persuasitque ut se Romanorum fidei committeret. Ita Paullus maximum nobilissimumque regem per triumphum ante currum suum duxit.

Victo captoque Perseo, qui quadriennio post in libera custodia Albae decessit, Macedoniam in quatuor regiones sic dividi placuit, ut neque connubium, neque commercium agrorum aedificiorumque inter se cuiquam, extra fines regionis suae, esset. Exinde Romani, per speciem amicitiae, Graecorum discordias fovere, atque Asiae ne-

gotiis se immiscere, quam ambitionis suae praedam facere in animo iam destinaverant.

Interea quum Carthaginienses post pacem quinquaginta ferme annorum, viribus receptis, socio populi romani atque amico, Massinissae arma intulissent; ex Catonis sententia, tertium bellum punicum est conflatum. Itaque Manilio et Censorino consulibus, primo Carthaginiensibus est imperatum, ut si salvi esse vellent, ex urbe migrarent, sedemque alibi constituerent. Quod ubi Carthagine auditum est, ortus statim est ululatus clamorque ingens, bellum esse gerendum, et satius esse extrema omnia pati, quam patriam relinquere. Tunc ad Carthaginem oppugnandam profectus est P. Cornelius Scipio consul, avo patrique simillimus, urbemque populo romano invisam funditus evertit. Quadraginta hostium millia se victori tradiderunt, et dux ipse Carthaginiensium Hasdrubal ad genua Scipionis supplex procubuit. Deleta Carthagine, Scipio Romam reversus splendidum egit triumphum, et Africani cognomen sibi peperit, quod iam haberet ab avo hereditarium.

Sub idem ferme tempus Andriscus quidam, Pseudophilippus a mendacio simulatae originis appellatus, qui se Philippum, regiaeque stirpis ferebat, quum esset ultimae, armis occupata Macedonia, brevi temeritatis poenas dedit. Quippe Q. Metellus, cui ex virtute Macedonici cognomen inditum erat, praeclara victoria ipsumque gentemque superavit.

LIBER V.

AB ANNO ANTE CHRISTVM NATVM CXXXIII AD ANNVM LXXVI.

CAPVT I.

Bellorum civilium causae. - Seditio Tiberii Gracchi et Caii Gracchi.

An. ante Chr. n. 133. An. ab urb. cond. 617.

Postquam Carthago, aemula imperii romani, ab stirpe interiit, et subactis in Hispania et Graecia populis regibusque, metus hostilis Romanorum mentibus decessit; scilicet ea quae secundae res amant, lascivia atque superbia invasere. Ita quod in adversis rebus optaverant, otium, postquam adepti sunt, asperius acerbiusque fuit (1). Namque coepere nobilitas dignitatem, populus libertatem in libidinem vertere. Ita omnia in duas partes abstracta sunt; respublica, quae media fuerat, dilacerata. Caeterum nobilitas factione magis pollebat; plebis vis soluta atque dispersa, in multitudine minus poterat. Paucorum arbitrio belli domique agitabatur (2); penes eosdem aerarium, provinciae, magistratus; populus militia atque inopia urgebatur. Ita cum potentia avaritia sine modo modestiaque invadere, polluere et vastare omnia, quoad semet ipsa praecipitavit. Namque ubi primum ex nobilitate reperti sunt, quibus, cupidine victoriae, haud satis moderatus animus erat; mo-

(1) Supp. quam ipse res adversae.
(2) Supp. res publica.

veri civitas, et dissensio civilis, quasi permixtio terrae, oriri coepit.

Tiberius Sempronius Gracchus, tribunus plebis creatus, descivit a bonis; pollicitusque toti Italiae civitatem, simul etiam promulgatis agrariis legibus (1), omnium statum concutientibus, summa imis miscuit, et in praeruptum atque anceps periculum adduxit rempublicam. Octavio collegae, pro bono publico stanti, imperium abrogavit; triumviros agris dividendis, coloniisque deducendis creavit se socerumque suum consularem Appium, et Gracchum fratrem, admodum iuvenem. Tum P. Scipio Nasica, consobrinus Tiberii Gracchi, patriam cognationi praeferens, ex superiore Capitolii parte, summis gradibus insistens, hortatus est qui salvam vellent rempublicam, se sequerentur. Tum optimates, senatus atque equestris ordinis pars melior et maior, et intacta perniciosis consiliis plebs irruere in Gracchum, stantem in area cum catervis suis. Is fugiens decurrensque clivo capitolino, fragmine subsellii ictus, vitam, quam gloriosissime degere potuerat, immatura morte finivit. Hoc initium in urbe Roma civilis sanguinis fuit.

Decem deinde interpositis annis, qui Tiberium Gracchum, idem Caium fratrem invasit furor. Qui quum summa quiete animi civitatis princeps esse posset, vel vindicandae fraternae mortis causa, vel praemuniendae regalis potentiae; vix tribunatum ingressus, longe maiora et altiora petens, dabat civitatem omnibus italicis, dividebat agros, vetabat quemquam civem plus quingentis iugeribus ha-

(1) Legibus agrariis cavebatur, ut plebi dividerentur agri publici.

bere, quod aliquando lege Licinia cautum erat; nova constituebat portoria; novis coloniis replebat provincias; iudicia a senatu transferebat ad equites; frumentum plebi dare instituerat; nihil immotum, nihil tranquillum, nihil quietum denique in eodem statu relinquebat; quin alterum etiam continuavit tribunatum. Hunc unaque Fulvium Flaccum, virum consularem, aeque prava cupientem, L. Opimius consul persecutus est armis. Flaccus, in Aventino armatos ad pugnam ciens, iugulatus est. Gracchus profugiens, quum iam comprehenderetur ab iis, quos Opimius miserat, cervicem Eporo servo praebuit, qui dominum et mox semet ipsum interemit.

Hunc Tiberius et Caius Gracchi, viri optimis ingeniis male usi, viva adhuc Cornelia matre, vitae exitum habuere. Qui si civilem dignitatis concupissent modum, quidquid tumultuando adipisci gestierunt, quietis (1) obtulisset respublica.

CAPVT II.

Bellum iugurthinum. - Iugurtha Hiempsalem et Adherbalem fratres interficit. - Calpurnius Bestia consul, Albinus, Q. Metellus, C. Marius adversus Iugurtham missi. - Iugurtha fraude Bocchi, regis Mauritaniae, vinctus traditur Syllae. - In triumphum ductus a Mario. - In carcere necatus.

An. ante Chr. n. 110. An. ab urb. cond. 640.

Massinissa, rex Numidarum, bello punico secundo in amicitiam receptus a P. Scipione, multa et praeclara rei militaris facinora fecerat; ob quae, victis Carthaginiensibus et capto Syphace, populus

(1) Ipsis quietis.

romanus quascumque urbes et agros manu ceperat, regi dono dedit. Itaque amicitia Massinissae bona atque honesta Romanis permansit. Sed imperii vitaeque eius finis idem fuit. Dein Micipsa filius regnum obtinuit; qui Adherbalem et Hiempsalem ex sese genuit, Iugurthamque, Manastabalis fratris filium adoptavit et testamento pariter cum filiis heredem instituit. Hic regni cupiditate instinctus, et beneficiorum immemor, Hiempsale atque Adherbale interemtis, omni Numidia potitur.

Adversus fratrum interfectorem primus in Africam Calpurnius Bestia consul mittitur; qui initio acriter Numidiam ingressus, multos mortales et urbes aliquot pugnando cepit. Sed ubi Iugurtha per legatos eum pecunia tentare, bellique, quod administrabat, asperitatem ostendere coepit; animus aeger avaritia subito conversus est; atque assumto socio et administro omnium consiliorum Aemilio Scauro, homine divitiarum avido, pacem cum Iugurtha flagitiosissimam fecit.

Postquam res in Africa gestas, quoque modo actae forent fama divulgavit; Romae per omnes locos et conventus de facto Calpurnii agitari. Apud plebem gravis invidia. Patres solliciti erant; probarentne tantum flagitium, an decretum consulis subverterent, parum constabat; ac maxume eos potentia Scauri, quod is auctor et socius Bestiae ferebatur, a vero bonoque impediebat. At Memmius, inter dubitationem et moras senatus, populo persuasit, uti L. Cassius ad Iugurtham mitteretur, eumque, interposita fide publica, Romam duceret.

Quum igitur Iugurtha cum Cassio Romam venisset, confestim C. Baebii, tribuni plebis, auxi-

lium magna mercede sibi parat, quo suffragante impune abiisset, nisi Massivam, Gulussae filium, Massinissae nepotem, tunc Romae commorantem, per Bomilcarem interficiendum curasset. Iugurtha, manifestus tanti sceleris, iussus est ab senatu Italia decedere; Roma autem egressus, fertur saepe eo tacitus respiciens, postremo dixisse: urbem venalem, et mature perituram, si emptorem invenerit. Interim Albinus consul, renovato bello, commeatum, stipendium, alia quae militibus usui forent, maturat in Africam portare, uti ante comitia bellum conficeret. Sed postquam dilapso tempore, comitiorum dies adventabat, Albinus, Aulo fratre in castris pro praetore relicto, Romam decessit. Iugurtha, cognita Auli imperitia, intempesta nocte, de improviso Romanorum castra circumvenit. Postero die cum Aulo in colloquio verba facit: tametsi ipsum cum exercitu fame, ferro clausum tenet; tamen si secum foedus faceret, incolumes omnes sub iugum missurum; praeterea uti diebus decem Numidia decederet. Quae quamquam gravia et flagitii plena erant; tamen, sicuti regi libuerat, pax convenit.

Post Auli foedus Metello consuli Numidia evenit, acri viro, et quamquam adverso populi partibus, fama tamen inviolata. Is ubi primum magistratum ingressus est, ad bellum, quod gesturus erat, animum intendit. Postquam vero in Africam venit, callidissime Iugurtham artibus suis aggressus est. Agrorum et vicorum populatione non contentus, in ipsa Numidiae capita impetum fecit, et Thalam urbem, thesaurosque regis diripuit. Tunc Iugurtham, regni finibus excitum, per Mauros et Gaetu-

liam est insecutus. Huius legatus erat C. Marius; qui Metelli lentitudinem criminatus, bellum iam in tertium annum trahentis, fecit ut consul crearetur, bellique summa sibi committeretur, quod Metellus iam profligaverat. Marius Gaetulos et Bocchum, Mauritaniae regem, fudit, quem Iugurtha ad belli societatem pellexerat. Castellum in excelsa rupe positum, ubi regis thesauri erant, expugnavit. Bocchus rebus suis diffisus, legatos ad Marium misit, pacem orantes. Sylla quaestor a Mario ad Bocchum missus, huic persuadet ut Iugurtham Romanis tradat. Ita fraudulentissimus regum, fraude Bocchi, Syllae vinctus traditur, et ab eo ad Marium deductus. Hic triumphans catenatum Iugurtham ante currum egit, atque in carcerem detrusum mox necandum curavit.

CAPVT III.

Bellum adversus Teutonos et Cimbros. - Vincuntur a Mario. - Bellum servile. - Marii ambitio. - Bellum sociale, seu italicum.

An. ante Chr. n. 102. An. ab urb. cond. 618.

Per idem tempus, quum immanis vis germanarum gentium, quibus nomen Cimbris ac Teutonis erat, Caepionem Manliumque consules, et antea Carbonem Silanumque fudissent fugassentque in Galliis, Scaurumque Aurelium consulem et alios celeberrimi nominis viros trucidassent; metu Italia omnis contremuit; populus autem romanus non alium repellendis tantis hostibus magis idoneum imperatorem, quam Marium est ratus, in quo spes atque opes civitatis ea tempestate sitae erant. Tunc multiplicati consulatus eius. Tertius in apparatu belli consumptus. Quarto trans alpes, circa

Aquas Sextias, cum Teutonis conflixit, amplius centum et quinquaginta hostium millibus ab eo trucidatis, gensque excisa Teutonorum. Quinto citra alpes, apud Vercellas, in campis, quibus nomen erat Raudiis, ipse et Q. Lutatius Catulus, proconsul, fortunatissimo decertavere proelio adversus Cimbros. Caesa aut capta traduntur centum octoginta hostium millia. Sextus consulatus veluti praemium ei meritorum datus.

Dum bellum Servile in Sicilia exardesceret, Marius Romae, inexplebili honorum cupiditate incitatus, in id solum studebat, ut senatus auctoritatem et rerum omnium summam ad se traheret. Quum autem illius ambitioni acerrime adversaretur L. Cornelius Sylla, iamque res ad civilem discordiam spectarent, peropportune cecidit, ut bellum Sociale civium mentes alio avocaret. Namque omnes italici populi, si Latinos, Etruscos atque Umbros excipias, Romae bellum indixerunt. Quorum populorum ut fortuna atrox, ita causa fuit iustissima. Petebant enim, ut in eius civitatis ius reciperentur, cuius imperium armis tuebantur. Clarissimi imperatores romani fuerunt eo bello Cn. Pompeius, C. Marius, L. Sylla, Q. Metellus. Italicorum autem fuerunt celeberrimi duces Silo Popaedius, C. Pontidius, Telesinus Pontius, Papius Mutilius aliique. Tam varia autem fortuna italici belli fuit, ut per biennium continuum duo romani consules, Rutilius, ac deinde Porcius Cato ab hostibus occiderentur, exercitus populi romani multis in locis funderentur, atque ad saga iretur (1),

(1) **Erat sagum belli index; nec solum milites, sed omnes cives sagum induere solebant, si maior aliquis tumultus subito existeret.**

diuque in eo habitu maneretur. Caput imperii sui Corfinium legerant, quod appellarunt Italicum. Paullatim deinde recipiendo in civitatem qui arma aut non ceperant, aut deposuerant maturius, vires refectae sunt, Pompeio, Syllaque et Mario labentem rempublicam romanam restituentibus.

Capvt iv.

Sylla ad bellum mithridaticum missus. - Bellum civile Marii et Syllae. - Varia utrinque fortuna certatur. - Syllanae proscriptiones.

An. ante Chr. n. 86. An. ab urb. cond. 661.

Confecto ex maxima parte (nisi qua (1) nolani belli manebant reliquiae) italico bello, Mithridates, Ponticus rex, occupata Asia, uno die atque una litterarum significatione, cives romanos, quotquot ibi essent, necari iussit. Quumque terribilis Italiae quoque videretur imminere, sorte obvenit Syllae Asia provincia. Is egressus urbe quum circa Nolam moraretur, P. Sulpicius, tribunus plebis, legem ad populum tulit, qua Syllae imperium abrogaretur, et C. Mario bellum decerneretur mithridaticum. Tum Sylla, contracto exercitu, ad urbem rediit, eamque armis occupavit; duodecim auctores novarum rerum, inter quos Marium cum filio et P. Sulpicio, urbe expulit, ac lege lata exsules fecit; Sulpicium vero in Laurentinis paludibus iugulandum curavit. Quo facto, ad bellum mithridaticum in Asiam profectus est.

Anno insequenti Cornelius Cinna, creatus consul, nec Mario nec Sulpicio temperatior fuit. Itaque ex senatus auctoritate consulatus ei abrogatus est,

(1) Exceptis locis in quibus.

suffectusque in eius locum L. Cornelius Merula, flamen dialis. Tum Cinna, corruptis primo centurionibus ac tribunis, mox etiam, spe largitionis, militibus, ab eo exercitu, qui circa Nolam erat, receptus est. Quumque universus in verba eius iuraret, retinens insignia consulatus, patriae bellum intulit, et C. Marium cum filio, quique eum iis pulsi erant, ab exsilio revocavit. Cinna et Marius, haud incruentis utrinque certaminibus editis, urbem occupaverunt; sed prior ingressus Cinna de recipiendo Mario legem tulit. Postea C. Marius, pestifero civibus suis reditu, intravit moenia. Nihil illa victoria fuisset crudelius, nisi mox Syllana esset secuta. Neque licentia gladiorum in mediocres saevitum; sed excelsissimi quique civitatis viri variis suppliciorum generibus affecti; in his Cn. Octavius, L. Merula et M. Antonius.

Septimum deinde consulatum Marius, in priorum dedecus, iniit. Cuius initio, morbo oppressus decessit. Sylla interim adversus Mithridatis praefectos, circa Athenas Boeotiamque et Macedoniam, ita dimicavit, ut Athenas caperet, et complura hostium millia interficeret. Transgressus deinde in Asiam, pacem petentem Mithridatem invenit. Quem multatum pecunia ac parte navium Asia omnibusque aliis provinciis, quas armis occupaverat, decedere coëgit, et paternis idest ponticis finibus contentum esse iussit. Postremo in Italiam traiecit, bellum gesturus adversus Norbanum et Scipionem consules. Et primo quidem contra Norbanum decertans non longe a Capua, septem eius millia cecidit, sex millia cepit. Inde ad Scipionem se convertit, cuius exercitum totum in deditionem accepit.

Quum autem Romae Marius, Marii filius, e Papirius Carbo consulatum accepissent, Sylla adversus Marium dimicavit. Mox etiam urbem ingressus est, ac Marium Praenestem usque persecutus, obsidione cinctum ad mortem compulit. Rursus pugnam gravissimam habuit contra Lamponium et Carinatem, duces partium marianarum, ad portam Collinam. Duodecim hostium millia se Syllae dediderunt; caeteri in acie, in castris, in fuga, insatiabili ira victoris absumti sunt. Cnaeus etiam Carbo ab Arimino ad Siciliam fugit, ibique a Cn. Pompeio interfectus est, quem adolescentem Sylla, cognita eius industria, exercitibus praefecerat.

Sylla victor dictaturam adeptus, inaudito exemplo, tabulam proscriptionis proposuit, qua eorum nomina continebantur, qui essent interficiendi. Ingens caesorum fuit multitudo; eoque ventum est, ut saevitiae causam avaritia praeberet, et modus culpae ex pecuniae modo constitueretur, et qui fuisset locuples, fieret nocens; nec quidquam videretur turpe, quod esset quaestuosum. Prostratis inimicorum opibus, Sylla, praeter omnium expectationem, dictatura se abdicavit, atque in villam profectus, haud ita multo post pediculari morbo correptus interiit. Hunc finem habuit bellum civile marianum et syllanum, quo decem annos respublica fuit afflictata.

LIBER VI.

AB ANNO ANTE CHRISTVM NATVM LXXVI AD ANNVM POST CHRISTVM NATVM XIV.

CAPVT I.

Bellum sertorianum. – Bellum spartacium. – Bellum piraticum. – Bellum mithridaticum.

An. ante Chr. n. 78. An ab urb. cond. 676.

M. Aemilio Lepido, Q. Catulo consulibus, novum bellum exarsit in Hispania. Namque Sertorius, qui partium marianarum fuerat, timens fortunam caeterorum, qui interempti erant, ad bellum commovit Hispaniam. Missi contra eum duces Q. Caecilius Metellus, filius eius qui Iugurtham vicit, et L. Domitius praetor. A Sertorii duce Hirtuleio Domitius occisus. Metellus vario exitu contra Sertorium dimicavit. Postea, quum impar pugnae solus Metellus putaretur, Cn. Pompeius ad Hispanias missus est. Ita, duobus ducibus adversis, Sertorius fortuna varia saepe pugnavit. Octavo demum anno a suis (1) occisus est, et finis ei bello impositus a Cn. Pompeio adolescente, et Q. Metello Pio. Quo facto, omnes prope Hispaniae in ditionem populi romani sunt redactae.

Dum sertorianum bellum in Hispania geritur, quatuor et sexaginta gladiatores e Capuae ludo profugientes, duce Spartaco, raptis ex illa urbe gladiis, primo Vesuvium montem petiere, mox

(1) Supp. militibus.

crescente in dies multitudine, gravibus variisque casibus Italiam affecere. Quorum numerus adeo crevit, ut quadraginta hominum millia se romano exercitui opposuerint. A M. Licinio Crasso pulsi, in extrema (1) Italiae aufugerunt. Ibi circa Bruttium sinum clausi, quum fugam in Siciliam pararent, neque navigia suppeterent, eruptione facta, dignam viris mortem obiere. Spartacus ipse, in primo agmine fortissime dimicans, occisus est.

Rebus fortiter gestis in Hispania, converterat Cn. Pompeius totum in se terrarum orbem, et per omnia homine maior existimabatur. Itaque A. Gabinius tribunus legem tulit, ut, quum belli more, non latrociniorum, orbem classibus, iam non furtivis expeditionibus piratae terrerent, Cn. Pompeius ad eos opprimendos mitteretur, essetque ei imperium aequum in omnibus provinciis cum proconsulibus, usque ad quinquagesimum milliarium a mari. Quo senatusconsulto pene totius terrarum orbis imperium uni viro deferebatur. Per idem tempus Cotta iudicandi munus, quod C. Gracchus ereptum senatui ad equites, Sylla ab illis ad senatum transtulerant, aequaliter inter utrumque ordinem partitus est. Otho Roscius lege sua equitibus in theatro loca restituit. At Cn. Pompeius, multis et praeclaris viris in id bellum assumptis, descriptoque in omnes recessus maris praesidio navium, inexsuperabili manu terrarum orbem brevi liberavit, praedonesque, per multa proelia, multis locis victos, circa Ciliciam classe aggressus fudit ac fugavit.

Quum esset in fine bellum piraticum, et L. Lu-

(1) Supp. loca.

cullus, qui ante septem annos sortitus Asiam, Mithridati oppositus fuerat, magnasque res ibi gesserat, idem bellum adhuc administraret; Manilius tribunus plebis legem tulit, ut bello mithridatico Cn. Pompeius imperator praeficeretur. Accepta lege, Pompeius memorabile adversus Mithridatem, qui post Luculli profectionem magnas novi exercitus vires paraverat, bellum gessit. Rex fusus fugatusque, et omnibus exutus copiis, Armeniam Tigranemque socerum petit, regem eius temporis potentissimum. Simul igitur duos persecutus Pompeius intravit Armeniam. Filius Tigranis prior pervenit ad Pompeium; mox Tigranes ipse supplex et praesens se regnumque ditioni eius permisit. Servatus regi honos imperii, sed multato ingenti pecunia, quae omnis redacta in quaestoris potestatem, publicis est descripta litteris. Syria aliaeque, quas occupaverat, provinciae ereptae, et aliae restitutae populo romano. Finis imperii regii terminatus Armenia.

Posthaec devicti a Pompeio Medi, Albani, Hiberi; ac deinde flexum agmen ad eas nationes, quae dextra atque intima (1) Ponti incolunt, Colchos, Heniochos et Achaeos. Et oppressus auspiciis Pompeii, insidiis Pharnacis filii Mithridates. Tum victor omnium, quas adierat, gentium Pompeius revertit in Italiam, et magnificentissimum Romae de tot regibus, per biduum, egit triumphum.

(1) Supp. loca.

CAPVT II.

Bellum catilinarium. – C. Iulius Caesar, Cn. Pompeius et Crassus potentiae societatem ineunt. – Caesari Galliae decretae. – Res illius gestae in Gallia et Britannia. – Bellum civile inter Caesarem et Pompeium. – Proelium pharsalium. – Caesar in senatu a coniuratis confoditur.

An. ante Chr. n. 61. An. ab urb. cond. 689.

Per haec tempora ob coniurationem L. Sergii Catilinae in extremum pene discrimen adducta est respublica. Hic scelerum conscientia, et rei familiaris inopia exagitatus, simul confisus improbis hominibus, quorum circum se, tamquam stipatorum catervas habebat, opprimendae reipublicae consilium cepit. Consules interficere, senatum trucidare, aerarium diripere, urbem incendere, totam denique rempublicam funditus evertere constituerat. Tanti sceleris indicium detulit Fulvia ad Ciceronem consulem, qui, habito senatu, in praesentem Catilinam peroravit. Hic metu consularis imperii, urbe digressus, in Etruriam, ad paratum a Manlio exercitum proficiscitur. Lentulus interea, Cethegus, aliique populares coniurationis, iussu consulis in carcere necati sunt. Nec tamen Catilina ab incepto destitit; sed infestis ab Etruria signis Romam petens, obvio Antonii exercitu opprimitur. Confecto proelio, apertissime patuit, quanta audacia, quantaque animi vis esset in exercitu Catilinae. Nam fere quem quisque pugnando locum ceperat, eum, amissa anima, corpore tegebat. Catilina vero, longe a suis, inter hostium cadavera repertus est, paullulum etiam spirans, ferociamque animi, quam habuerat vivus, in vultu retinens.

M. T. Cicero pater patriae fuit appellatus, quod ipsam laboribus, consiliis periculisque suis ab excidio vindicasset.

Sed respublica, Ciceronis industria conservata, iam magnitudine laborabat sua. Iulius autem Caesar, consulatum adeptus, Romae dominatum affectabat. Hoc nimirum consule, inter ipsum et Cn. Pompeium et M. Crassum inita potentiae societas, quae urbi orbique terrarum, nec minus ipsis exitiabilis fuit. Hoc consilium sequendi Pompeius causam habuerat, ut tandem acta in transmarinis provinciis, quibus multi obtrectabant, per Caesarem consulem confirmarentur. Caesar autem, quod animadvertebat, se cedendo Pompeii gloriae, aucturum suam, et invidia communis potentiae in illum relegata, confirmaturum vires suas. Crassus, ut quem principatum solus assequi non poterat, auctoritate Pompeii, viribus teneret Caesaris. Adfinitas etiam inter Caesarem Pompeiumque contracta nuptiis. Quippe Iuliam, C. Caesaris filiam, Cn. Magnus duxit uxorem.

In hoc consulatu Caesar legem tulit, ut ager campanus plebi divideretur, suasore legis Pompeio. Bibulus, Caesaris collega, quum actiones eius magis vellet impedire, quam posset, maiore anni parte domi se tenuit. Quo facto, dum augere vult invidiam collegae, auxit potentiam. Tum Caesari decretae in quinquennium Galliae cum legionibus decem; et paullo post lege, quam Pompeius ad populum tulit, eidem prorogatae in idem spatium temporis provinciae. Hic primo Helvetios superavit, deinde victor usque ad oceanum britannicum processit. Domuit autem, annis ferme novem,

omnem Galliam, quae inter alpes, Rhodanum flumen, Rhenum et Oceanum est, et circuitu patet ad bis et tricies centena millia passuum. Germanos trans Rhenum aggressus, maximis proeliis vicit. Mox Britannis bellum intulit, quibus, ante eum, ne nomen quidem Romanorum cognitum erat; et eos quoque victos, obsidibus acceptis, stipendiarios fecit. Per id tempus Crasso, bellum parthicum in animo molienti, Syria decreta. Sed transgressum Euphratem, et petentem Seleuciam rex Orodes cum parte maiore romani exercitus interemit. Reliquiae legionum per C. Cassium quaestorem sunt servatae.

Septimo ferme anno Caesar morabatur in Gallia, quum pignus concordiae inter Cn. Pompeium et C. Caesarem, Iulia, uxor Magni, decessit. Intra breve deinde spatium exarserunt belli civilis initia. Caesar enim, rediens ex Gallia victor, alterum consulatum petiit. Contradictum est a Marcello consule, a Bibulo, Pompeio, Catone, iussusque, dimissis exercitibus, ad urbem redire. Ob hanc iniuriam Caesar bellandum ratus, Rubicone traiecto, adversus patriam cum exercitu venit. Cn. Pompeius, consulesque, et maior pars senatus, urbe relicta, transmisere Dyrrachium. Caesar urbem ingressus, redditaque ratione consiliorum suorum in senatu et in concione, Hispanias petiit, et Pompeii exercitus validissimos cum tribus ducibus L. Afranio, M. Petreio, M. Varrone superavit. Inde regressus, in Thessaliam transiit, ubi proelio pharsalico Pompeium devicit, castraque eius diripuit. Pompeius profugiens cum duobus Lentulis consularibus, Aegyptum petere proposuit, memor bene-

ficiorum, quae in patrem eius Ptolemaei contulerat, qui tum, puero quam iuveni propior, regnabat Alexandriae. Hic vero, fortunam magis quam amicitiam secutus, Pompeium occidit.

Deinde Caesar, dictator dictus in annum, Alexandriam venit, ac bellum Ptolemaeo intulit, a quo sibi quoque insidias parari intellexerat. Alexandria potitus, regnum Cleopatrae dedit, Ptolemaei sorori. Mox in Pontum transiit; ibique Pharnacem, Mithridatis filium, rebellantem aggressus, intra quintum ab adventu diem uno proelio profligavit. Scipionem et Iubam, Numidiae regem, pompeianarum partium reliquias in Africa refoventes, devicit; postremo in Hispania Pompeii liberos apud Mundam urbem superavit.

Victor omnium Caesar in urbem regressus, et dictator perpetuus creatus, agere insolentius coepit. Quum autem civibus ex sua voluntate honores decerneret, qui a populo antea deferebantur, nec senatui advenienti adsurgeret, ac demum Lupercalibus, sedens pro rostris, insigne regium, ab Antonio eius capiti impositum, ita recusasset, ut non offensus videretur; coniuratum est in eum a sexaginta et amplius optimatibus, quorum praecipui fuere Brutus, C. Cassius et Servilius Casca. Idibus martiis quum venisset in curiam, expeditionem parthicam meditans, tribus et viginti vulneribus a coniuratis est confossus.

CAPVT III.

C. Octavius, M. Antonius, M. Lepidus, triumviri constituendae reipublicae. – Octavius a senatu Augustus est cognominatus. – Eius artes et via ad imperium. – Status rerum et affectus civium sub Augusto. – Augusti mors. – Tiberius Augusto succedit. – Iesus Christus nascitur.

An. ante Chr. n. 41. An. ab urb. cond. 709.

Interfecto Caesare, bella civilia renovata sunt. Percussoribus enim Caesaris favebat senatus; Antonius autem consul armis opprimere eos conabatur. Ergo, turbata republica, Antonius, multis sceleribus perpetratis, hostis a senatu est iudicatus. Missi ad eum persequendum Pansa et Hirtius consules, et C. Octavius, octodecim annos natus, quem, nepotem Iuliae sororis, Caesar testamento adoptatum, heredem reliquerat. Bellum fortissime circa Mutinam administratum est, et Decimus Brutus obsidione liberatus. Antonius turpi fuga Italiam deserere coactus; alter vero consulum in acie, alter post paucos dies ex vulnere mortem obiit. Itaque tres exercitus uni Octavio Caesari victori paruerunt. Antonius, amissis copiis, confugit ad Lepidum, qui tunc maximo praeerat exercitui. Mox Caesar, inita cum Lepido et Antonio potentiae societate, Romam cum exercitu profectus, extorsit ut sibi, annum agenti vicesimum, consulatus daretur. Hoc tempore instauratum Syllani exempli malum, proscriptio, qua complures optimates periere. In his M. T. Cicero, qui continuis actionibus (1) aeternas Antonii memoriae inusserat notas.

(1) Spectant haec verba ad XIV orationes, quibus Cicero in M.

Interea Brutus et Cassius grave bellum moverunt; erant enim per Macedoniam et Orientem multi exercitus, quos occupaverant. Profecti adversus eos Caesar Octavius et M. Antonius, apud Philippos, Macedoniae urbem, duobus proeliis victos interfecerunt. Ita vero inter triumviros divisa est res publica, ut Octavius Hispanias, Gallias et Italiam teneret; Antonius Asiam, Pontum, Orientem; Lepido autem Africa demandaretur.

Dum haec in Macedonia geruntur, ingens bellum in Sicilia conflatum est a Sexto Pompeio, Cn. Magni filio, ad quem ex Italia aliisque terrarum partibus confluebant quotquot ex Bruti et Cassii partibus superfuerant. Bellatum adversus eum per Octavium et Antonium. Postremo cum Pompeio quoque circa Misenum pax inita. Quae tamen diu non mansit. Pompeius navali proelio victus, in Asiam fugiens interfectus est.

Antonius, qui Asiam Orientemque tenebat, repudiata Octavia, Caesaris sorore, Cleopatram, Aegypti reginam, duxit uxorem; quae dum cupiditate muliebri optat etiam Romae regnare, ingens bellum civile commovit. Itaque Caesar et Antonius, productis classibus, apud Actium decertarunt; ubi longe antequam dimicaretur, exploratissima caesarianarum partium victoria fuit. Ubi initum certamen, omnia in altera parte fuere, dux, remiges, milites; in altera nihil praeter milites. Prima occupat fugam Cleopatra. Antonius fugientis reginae, quam pugnantis militis sui comes esse maluit; et

Antonium acerrime est invectus, quaeque **Philippicarum** nomine feruntur.

imperator, qui in desertores saevire debuerat, desertor exercitus sui factus est.

Proximo deinde anno persecutus Caesar reginam Antoniumque Alexandriam, ultimam bellis civilibus manum imposuit. Antonius se ipse interemit; Cleopatra frustrata custodes, illata (1) aspide, eius morsu, expers muliebris metus, spiritum reddidit. Octavius autem, posito triumviri nomine, consulem se ferens, et ad tuendam plebem tribunicio iure contentus, a senatu Augustus est cognominatus. Ubi vero militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere (2) paullatim, munia senatus, magistratuum, legum in se trahere, nullo adversante; quum ferocissimi per acies aut proscriptiones cecidissent, caeteri nobilium, quanto quis servitio promptior, opibus et honoribus extolleretur, ac novis ex rebus aucti, tuta et praesentia, quam vetera et periculosa mallent. Neque provinciae illum rerum statum abnuebant, suspecto senatus populique imperio, ob certamina potentium et avaritiam magistratuum, invalido legum auxilio, quae vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur.

Itaque verso civitatis statu, nihil usquam prisci et integri moris. Omnes, exuta aequalitate, iussa Principis aspectare; nulla in praesens formidine, dum Augustus aetate validus seque et domum et pacem sustentavit. Postquam provecta iam senectus, et aegro corpore fatigabatur, aderatque finis et spes novae, pauci bona libertatis incassum disserere; plures bellum pavescere, alii cupere; pars

(1) Supp. in carcerem
(2) Supp. coepit.

multo maxima imminentes dominos variis rumoribus differebant. Haec atque talia agitantibus, gravescere valetudo Augusti; qui postquam rem publicam per quatuor et quadraginta annos solus obtinuisset, obiit Nolae anno aetatis sexto et septuagesimo. Moriens Divus est appellatus; et rem publicam Tiberio successori reliquit, qui privignus ei, mox gener, postremo adoptione filius fuerat.

Nullo tempore res romana magis floruit. Namque, exceptis bellis civilibus, in quibus invictus fuit, adiecit Augustus romano imperio Aegyptum, Cantabriam, Dalmatiam, Pannoniam, Aquitaniam, Illyricum, Rhaetiam, Vindelicos, Salassos et omnes maritimas Ponti civitates. Vicit autem proeliis Dacos, Germanorum ingentes copias cecidit et ultra Albim fluvium submovit. Bellis tandem ubique compositis, natus est Iesus Christus, qui universi orbis faciem divinis praeceptis aliquando immutaret.

LIBER VII.

AB ANNO POST CHRISTVM NATVM XIV AD ANNVM CCCCLXXVI.

Caput I.

Roma prona in servitutem. - Tiberius. - Caesar Caligula. - Claudius. - Nero. - Servius Sulpicius Galba. - Otho Salvius. - A. Vitellius. - T. Flavius Vespasianus T. Vespasianus. - Domitianus.

An. post Chr. n. 14.

Post Augusti excessum, Romae ruere in servitium consules, Patres, equites; quanto quis illustrior, tanto magis falsi ac festinantes, vultuque composito, ne laeti excessu Principis, neu tristiores primordio viderentur; lacrimas, gaudium, questus adulatione miscebant. Sed Tiberius signum (1) imperatoriis cohortibus ut Imperator dedit; excubiae, arma et caetera aulae (2); miles in forum, miles in curiam comitabatur. Litteras ad exercitum, tamquam adepto principatu misit; nusquam cunctabundus, nisi quum in senatu loqueretur. Denique delatum a Patribus imperium ingenti socordia administravit, scelesta avaritia, turpi libidine. Nusquam ipse pugnavit; bella per legatos suos gessit. Aut saevire ipse in cives, aut saevientibus vires praebere. Initium et causa (3) penes Aelium

(1) Signi nomine intellige sonum tubae, pugnam aut aliud quidpiam indicentis, tesseras et unum aut duo verba ab Imperatore concepta, quibus utebantur milites in obeundis vigiliis (*nel fare la ronda*).

(2) Erant Tiberio excubiae, arma et caetera, quae pertinent ad aulam Imperatoris.

(3) Supp. saeviendi.

Seianum, cohortibus praetoriis praefectum; qui Imperatorem variis artibus ita devinxerat, ut obscurum adversus alios, sibi uni incautum intectumque efficeret. Decessit tertio et vicesimo imperii anno, aetatis autem octavo et septuagesimo. Hoc imperitante, Iesus Christus per Pontium Pilatum procuratorem supplicio affectus est.

Tiberio successit Caius Caesar, cognomento Caligula, Germanici filius. Ante principatum omnibus carus acceptusque; in principatu vero talis, ut non immerito vulgaretur, atrociorem illo dominum non fuisse. Bellum adversus Germanos suscepit, et Sueviam ingressus, nihil strenue fecit. Postremo quasi perpetraturus bellum, directa acie in litore Oceani, ac ballistis machinisque dispositis, repente militibus, ut conchas legerent, galeasque et sinus replerent imperavit, spolia Oceani vocans. Anno imperii tertio, quum avaritia, libidine, crudelitate, omnium odium in se concitasset, interfectus est in palatio, annos natus novem et viginti.

Dum senatus post Caligulae caedem de asserenda communi libertate deliberaret, Claudius, Drusi filius, a militibus Imperator est salutatus. Hic ventri, vino, libidini foede obediens, vecors et prope hebes, libertorum et coniugum imperiis obnoxius fuit. Britanniae bellum intulit, quam nemo Romanorum post Iulium Caesarem attigerat, eaque devicta, triumphavit. Post interfectam Messalinam uxorem, Agrippinam, Germanici fratris filiam, in matrimonium accepit. Haec filio imperium conciliatura, maritum veneno intercepit, qui signa quaedam nec obscura poenitentis de Neronis adoptione dederat. Excessit quarto et sexagesimo aetatis anno,

imperii quartodecimo; eiusque mors celata est, donec circa successorem omnia ordinarentur.

Nerone, Domitii Aenobarbi filio imperium adepto, Agrippina mater cunctis malae dominationis cupidinibus flagrabat, ibaturque in caedes, nisi Afranius Burrus et Annaeus Seneca obviam issent. Hi rectores imperatoriae iuventae, et concordes, diversa arte ex aequo pollebant; se invicem iuvantes, quo facilius lubricam Principis aetatem retinerent. Itaque novus Neronis principatus quinquennio tolerabilis visus. Postquam vero matrem, Octaviam et Poppaeam uxores e medio sustulit, nullus iam neronianae crudelitati aut libidini modus fuit. Tunc Galba in Hispania imperium corripuit. Quem ubi Nero adventantem audivit, simulque intellexit, se a senatu hostem iudicatum, e palatio fugiens, in suburbano liberti sui semet gladio transfixit, anno aetatis secundo et trigesimo, quum imperasset annos quatuordecim.

Progenies Caesarum in Nerone defecit; cui tres successere Imperatores a legionibus electi. Et primus quidem Servius Sulpicius Galba, vir haud dubie nobilissimus, magnaque et vetere prosapia. Qui tamen ad severitatem et avaritiam propensior, universis prope ordinibus offensis, et praecipua flagrans apud milites invidia, trucidatus est imperii mense septimo. Deinde Otho Salvius, materno genere nobilior quam paterno; qui vita omni turpis, quinto et nonagesimo imperii die se ipsum interemit. Tum Aulus Vitellius, qui nomen locumque inter primores, nulla sua industria, sed cuncta, patris claritudine, adeptus, ingluvie et voracitate praesertim famosus, ingestis vulneribus

concidit, atque in Tiberim est deiectus octavo mense ex quo imperium obtinuerat.

Rebellione trium Principum et caede incertum diu et quasi vagum imperium suscepit firmavitque tandem gens Flavia; obscura illa quidem ac sine ullis maiorum imaginibus (1), sed tamen reipublicae nequaquam poenitenda. Ex hac gente ortus est T. Flavius Vespasianus, Princeps singularis lenitatis, in omne hominum genus liberalissimus, quique ingenia et artes maxime fovit. Hoc imperante, Iudaea romano accessit imperio; et Achaia, Lycia, Thracia et Cilicia in provinciarum formam redactae (2). Quum autem senatui et populo perinde carus esset, obiit annos natus novem et sexaginta, relicto imperio Tito filio; qui et ipse Vespasianus appellatus, morte praeventus est, maiore hominum damno quam suo, biennio postquam Imperator erat factus, anno aetatis secundo et quadragesimo. Titus, expugnatis Hierosolymis, triumphavit cum patre. Principatum vero adeptus, omnium virtutum genere six eluxit, ut amor ac deliciae generis humani diceretur. Quaedam sub eo (3) fortuita ac tristia acciderunt; ut conflagratio Vesevi montis in Campania, et incendium Romae per triduum totidemque noctes; item pestilentia, quanta non temere alias. In his tot adversis ac talibus non modo Principis sollicitudinem, sed et parentis affectum unicum praestitit, nunc conso-

(1) Romani, qui maiorum suorum imagines in atrio domus servabant, nobiles habebantur.

(2) In provinciarum formam redigi dicebantur regiones devictae, quum legibus et magistratibus romanis subiicerentur, et vectigales fierent.

(3) Sub eius imperio.

lando per edicta, nunc opitulando, quantum suppeteret facultas.

Romanorum luctum ob Titi excessum insigniter auxit Domitianus frater, infensus virtutibus Princeps. Primo tamen, suscepto imperio, clementiam simulavit, neque adeo iners visus est. Itaque de Cattis Dacisque triumphavit. Romae multas aedes exstruxit, bibliothecas, incendio absumptas, impensissime reparavit, exemplaribus undique petitis, missisque Alexandriam qui describerent, emendarentque. Dehinc libidine, iracundia, crudelitate, bonorum caedibus infamis, Neroni aut Caligulae similior fuit quam patri aut fratri. Ad haec dominum se ac deum appellans, nullas sibi in Capitolio statuas, nisi aureas et argenteas, poni passus est. Idemque terribilis cunctis et invisus, tandem occisus est amicorum libertorumque conspiratione, simul et Domitiae uxoris, anno aetatis quinto et quadragesimo, imperii quintodecimo. Cadaver eius, populari sandapila per vespillones exportatum, Phyllis nutrix in suburbano suo funeravit.

CAPVT II.

Nerva. - Traianus. - Hadrianus. - Antoninus Pius. - M. Aurelius Antoninus. - L. Verus. - L. Antoninus Commodus. - Helvius Pertinax. - Didius Iulianus. - Septimius Severus. - Antoninus Caracalla. - Opilius Macrinus. - Aurelius Heliogabalus. - Alexander Severus. - Iul. Maximinus. - Gordianus. - Philippus. - Decius. - Virius Gallus. - Licinius. - Valerianus. - Gallienus. - Claudius. - Quintilius. - Aurelianus. - Tacitus. - Florianus. - Probus. - Carus. - Diocletianus. - Maximianus. - Christiani suppliciis afflicti. - Constantius. - Galerius. - Constantinus.

An. post. Chr. n. 96.

Postquam Romani, sub pessimis Imperatoribus, grande patientiae documentum dederant, viderantque quid ultimum in servitute esset, adempto per inquisitores loquendi audiendique commercio, rara tandem temporum felicitas orta est, ubi (1) sentire quae vellent, et quae sentirent dicere liceret. Domitiano enim successit Cocceius Nerva, vir in privata vita moderatus et strenuus; qui admodum senex imperium adeptus, res olim dissociabiles, principatum ac libertatem miscuit, optimeque de republica meritus est, Ulpium Crinitum Traianum adoptando. Hic urbes trans Rhenum in Germania recepit; Daciam, victo Decebalo, subegit, provincia trans Danubium facta, quae decies centena millia passuum in circuitu tenuit. In omnes liberalis, benignus, magnificas aedes exstruxit, et viam per pomptinam paludem, ingenti sumptu, saxo sternendam curavit. Post magnam gloriam, belli domique partam (2), successorem habuit Aelium

(1) Quibus.
(2) Hac de re consule sis C. Plinii Caecilii Secundi Panegyricum, Imperatori Traiano dictum.

Hadrianum, graecis latinisque litteris impensius eruditum, qui imperii finem voluit esse Euphratem, et tanta diligentia in rebus publicis administrandis usus est, ut provincias omnes pedibus circumierit. Idem officia publica novum in ordinem digessit; disciplinam militarem restituit; Consistorium Principis statuit, in quo lectissimi iurisconsulti Imperatori adsiderent; postremo Antoninum, cognomento Pium, adoptavit, quem ob amorem iustitiae et pacis aequales sui cum Numa contulerunt.

Post mortem Antonini Pii res romana duobus Principibus, aequo iure imperantibus, primum paruit; divisum enim imperium obtinuerunt M. Antoninus et L. Verus. Hic, bello adversus Parthos gesto, triumphavit, atque undecimo imperii anno e vita excessit. Ille maximum contra Marcomannos bellum confecit, et multa hostium millia interemit. Quum autem stoicorum philosophiae deditus esset, cognomine philosophus est appellatus. Vir multis virtutibus clarus, sexagenario maior obiit, atque imperium Commodo filio reliquit, qui libidine, avaritia, crudelitate infamis, veneno interceptus aut strangulatus decessit, quum annum aetatis ageret alterum et trigesimum.

Exinde romanum imperium in praetorianorum potestatem concessit, atque arbitrio militum, pessimo cuique aut ignavo ferme delatum. Itaque per centum et amplius annos Romanorum res pessumdatae; quum plerique Imperatores huc tantummodo spectarent, ut publicis exactionibus provincias expilarent, et largitione militum voluntates redimerent. Interfecto, post trimestre imperium,

Helvio Pertinace, Commodi successore, et Didio Iuliano, qui septem fere menses imperavit, rerum potitus est Septimius Severus, acri vir ingenio, et bellica laude non minus quam iuris studio insignis. Hunc consecuti sunt Antoninus Caracalla, Opilius Macrinus et Aurelius Heliogabalus, tria imperii portenta ac pene funera. Ab Heliogabalo autem accitus est adoptione in imperium Alexander Severus, qui consiliis usus Mammeae matris, virilis ingenii feminae, tredecim annos, quantum per tumultuantes legiones liceret, rem romanam laudabiliter administravit.

Ab Alexandro Severo ad Aurelianum quinque et triginta anni numerantur, quibus ob barbarorum incursiones, et intestina illorum dissidia, qui Romae dominatum affectarent, pene fuit deletum imperium. Hoc temporis spatio novem Imperatores ad rerum gubernacula sederunt; quorum plerique ignavae aut flagitiosae vitae poenas dederunt. Anno tandem ducentesimo, septuagesimo post Christum natum, militum et senatus voluntate ad imperium accessit Aurelianus, vir bellicosus, at saevus et truculentus. Hic Gothis strenuissime subactis, Zenobiam duobus proeliis devicit, quae post Odenathi mariti excessum Orientem tenebat, captamque duxit in triumpho. Haud ita multo post Palmyram, urbem regni principem, situ et soli divitiis nobilem, ad internecionem vastavit. Tandem vero superato in Gallia Tetrico, dum Persas armis peteret, servi sui fraude in itinere est interfectus.

Consecuti sunt Aurelianum Tacitus et Florianus. His vero, intra paucos menses, praematuro exitu raptis, annos sex imperii clavum tenuit Probus,

qui postquam singulari felicitate Gallias a barbaris vindicasset, et Saturninum in Oriente, Proculum et Bonosum Agrippinae oppressisset, militum seditione est occisus, quos servilibus officiis intentos improbo labore exercebat. Nec diu post Probum res romanas administravit Carus, qui apud Ctesiphonta fulmine afflatus, vel ut alii arbitrantur, pugione percussus, imperium Carino et Numeriano filiis tradidit. Sed quum hic paullo post per insidias fuisset interfectus, ille ob multa scelera omnibus esset invisus, victor exercitus, ex Perside rediens, Diocletianum Imperatorem creavit.

Hic Maximianum commilitonem, imperii collegam habuit, cui occidentales provincias regendas dedit, intereadum ipse Orienti imperaret. Mox quo facilius barbaros, undique ingruentes, repelleret, Constantium et Galerium Caesares (1) creavit. Huius instinctu Diocletianus quum acerbe in christianos saeviisset, haud ita multo post morbo tentatus diu elanguit. Quumque rebus publicis regundis se imparem sentiret, abdicato imperio, Maximiano auctor fuit, ut ipse quoque in privatam vitam rediret. Quo facto, Salonas in Dalmatiam secessit, ubi in hortorum cultu consenuit.

Diocletiano et Maximiano abeuntibus ab administratione rei publicae, Constantius et Galerius Augusti sunt creati; divisusque inter eos ita romanus orbis, ut Galliam, Italiam, Africam Constantius; Illyricum, Asiam, Orientem Galerius obtineret, assumptis duobus Caesaribus in laborum curarumque consortium. Sed mortuo Constantio, Con-

(1) Caesares hac tempestate illi dicti sunt, quos Imperator in consortium laborum et spem successionis adsciscebat.

stantinus filius creatus est Imperator, qui, pulsis collegis, rerum omnium summam solus obtinuit. Pauco interiecto tempore, prodigio admonitus, christianam professionem amplexus est, quam in tutela et praesidio imperii latere voluit. Idem laudis et gloriae cupidus supra quam cuique credibile est, Byzantium, Thraciae urbem ad Bosphorum, amplissimis impensis instauratam, et Constantinopolis nomine donatam ad tantum fastigium evexit, ut Romae aemulam, atque alterum imperii caput faceret. Hinc insolitae regionum descriptiones; hinc nova magistratuum atque honorum nomina; hinc demum futura imperii labes.

Caput III.

Constantinus, Constantius et Constans, Constantini M. filii. - Iulianus. - Iovianus. - Valentinianus I et Valens. - Orientalis et occidentalis imperii divisio. - Gratianus. - Valentinianus II. - Theodosius. - Arcadius et Honorius. - Alaricus, Visigothorum rex, Romam diripit. - Ioannes. - Valentinianus III. - Hunni, duce Attila, in Italiam veniunt. - Leo I, Pontifex Maximus. - Gensericus, Vandalorum rex, urbem depopulatur. - Avitus. - Maiorianus. - Severus. - Antemius. - Olibrius. - Glycerius. - Iulius Nepos. - Romulus Augustulus. - Odoacres.

An. post Chr. n. 338.

Mortuo Constantino, qui cognomento Magnus fuit appellatus, ad tres illius filios abiit romani orbis administratio. Constantino omnia trans alpes adsignata; Constantius a freto Propontidis Asiam atque Orientem; Constans Illyricum, Italiam, Africam, Dalmatiam, Thraciam, Macedoniam et Achaiam tenuit. At ex his duo vita usi admodum brevi, universum imperium uni Constantio habendum permiserunt. Hic quum persico bello disti-

neretur, Iulianum patruelem in Gallias misit, ubi nonnulla oppida barbari obsederant, alia expugnaverant. Multa per Iulianum egregie adversus barbaros gesta; summoti ultra Rhenum Germani, et finibus suis romanum imperium restitutum. Nec multo post quum germaniciani exercitus a Galliarum praesidio tollerentur, Iulianus a militibus Augustus est salutatus. Re cognita, Constantius ad bellum civile conversus, in itinere obiit anno aetatis quinto et quadragesimo. Hinc Iulianus rerum potitus est, acerrimus christianae sapientiae insectator, quam vel a puero arripuerat; qui adversus Persas profectus, dum se inconsultius proeliis inserit, hostili manu est interfectus.

Post hunc Iovianus ad obtinendum imperium consensu militum lectus est, qui uno et altero proelio a Persis victus, repentina morte in Galatiae finibus occubuit. Valentinianus, huiusce nominis primus, qui ei successit, Valentem fratrem sibi socium in imperio adscivit. Hinc prima occidentalis et orientalis imperii divisio. Quamdiu imperio praefuit Valentinianus, adversus Alamannos decertavit, qui Galliam et Rhaetiam vastabant. Post huius obitum Valens, commisso cum Gothis lacrymabili bello, sagittis saucius in casam deportatus, supervenientibus hostibus, igni supposito concrematus est.

Quum autem Thraciam Daciamque obtinerent Gothi, Triballi, Hunni et Alani, nominique romano extremam perniciem minitarentur, a Gratiano, occidentale imperium administrante, una cum Valentiniano II, fratre septuenni, ad illos oppugnandos missus est Theodosius, qui genus a Traiano

ducens, non minus mores eius, quam os vultumque referebat. Fusis fugatisque hostibus, Theodosius virtutis suae praemium, orientale imperium tulit; cui postmodum, Gratiano fratreque interfectis, occidentale etiam accessit. Verum ad breve tempus dumtaxat res romana penes unum Theodosium fuit. Hoc enim vita functo, Arcadius et Honorius filii paternam ditionem ita sunt partiti inter se, ut ille Orientem, hic autem Occidentem obtineret, ac Ravennam imperii sedem deligeret.

Et Honorius quidem Stilichonis tutelae fuerat commissus, qui postquam imperium a Visigothis fortiter vindicasset, atque imperatoriis exercitibus per annos tres et viginti magna cum laude praefuisset (1), ab Olympio proditionis falso accusatus, capite poenas expendit. Interea Alaricus, Visigothorum rex Italiam, Stilichonis praesidio viduatam invasit, urbemque ferro et incendiis vastavit. Paullo post moriens regnum Ataulfo reliquit, qui Placidiam, Honorii sororem, in matrimonio habuit, et, pace firmata, Visigothos in Galliam Hispaniamque perduxit.

Honorium excepit Ioannes, magister epistolarum, et biennio post Valentinianus III sub tutela matris, quae universae militiae Aëtium praeposuit. Huius machinationibus Bonifacius, Africae praefectus, Imperatricis offensam meritus, ut securitati suae prospiceret, a Genserico, Vandalorum rege, opem petiit. Qui confestim adveniens cum exercitu, Africam miserandum in modum vastatam per vim occupavit. Haud aliter Britannia, intestinis discor-

(1) Complura exstant Claudiani poëtae de Stilichonis laudibus carmina.

diis atque externis hostibus afflictata, ubi primum romanae legiones insula excesserunt, in Saxonum et Anglorum ditionem venit.

Dum haec in Africa et Britannia geruntur, Hunnos, duce Attila, Galliam irrumpentes fugavit Aëtius in agro Catalaunico. Tunc immanis illa barbararum gentium vis se Italiae superfudit, rapinas, eversionem, incendia, caedes, aliaque inferens, quae a bello et libidine victorum proficisci consueverunt. Tunc enimvero actum fuisset de Italia, nisi Leo I, Pontifex Maximus, non tam precibus et muneribus, quam offusa oculis religione, tantam pestem a regionibus nostris avertisset.

Vix dum Itali ab Hunnorum direptionibus quieverant, quum interfecto Valentiniano, Maximus ab exercitu Imperator est salutatus. Eudoxia, mariti caedem ultura, Gensericum in Italiam accivit; qui classe Tiberim invectus, per dies quatuordecim Romam est depopulatus, pretiosissima quaeque asportans in Africam. Maximus autem fugiens, a militibus suis occisus est. Hunc consecuti sunt octo Imperatores, quorum plerique Ricimero, gotho, qui imperatorios exercitus ductabat, dicto audientes fuerunt. Horum postremus, Romulus Augustulus, vix rerum erat potitus, quum Odoacres, Herulorum, Rugiorum, aliorumque mercenariorum militum dux, imperii possessione illum deturbavit, et regnum germanicum in Italia constituit.

INDEX

Liber I.

AB ANNO ANTE CHRISTVM NATVM MCLXXIX AD ANNVM DVII.

LIBER II.

AB ANNO ANTE CHRISTVM NATVM DVII AD ANNVM CCCXXXVII.

Liber III.

AB ANNO ANTE CHRISTVM NATVM CCCXXXVII AD ANNVM CCLXII.

Liber IV.

AB ANNO ANTE CHRISTVM NATVM CCLXII AD ANNVM CXXXIII.

LIBER VI.

AB ANNO ANTE CHRISTVM NATVM LXXVI AD ANNVM POST CHRISTVM NATVM XIV.

LIBER VII.

AB ANNO POST CHRISTVM NATVM XIV AD ANNVM CCCLXXVI.

ABBREVIATURE

CHE S'INCONTRANO IN QUESTO LESSICO.

agg. aggettivo.
agg. com. aggettivo comune.
agg. com. comp. - aggettivo comune comparativo.
agg. comp. aggettivo di grado comparativo.
agg. distr. aggettivo distributivo.
agg. indecl. aggettivo indeclinabile.
agg. num. indef. indecl. - aggettivo numerale indefinito indeclinabile.
agg. num. ord. - aggettivo numerale ordinale.
agg. pl. aggettivo plurale.
agg. pl. indecl. - aggettivo plurale indeclinabile.
agg. sost. aggettivo sostantivo.
agg. sup. aggettivo di grado superlativo.
anom. verbo anomalo, irregolare.
att. verbo attivo.
att. an. verbo attivo anomalo.
att. freq. attivo frequentativo.
avv. avverbio.
avv. dim. avverbio dimostrativo.
avv. di neg. avverbio di negazione.
avv. e prep. che regg. l'acc. - avverbio e preposizione che regge l'accusativo.
avv. num. avverbio numerale.
avv. sup. avverbio di grado superlativo.
cong. congiunzione.
cong. avv. e discr. - congiunzione avversativa e discretiva.
cong. caus. congiunzione causale.
cong. cop. congiunzione copulativa.
dat. sing. dativo singolare.
dep. verbo deponente.
dif. difettivo.
disg. disgiuntiva.
fut. dell'inf. futuro dell'infinito.
gen. genere.
gen. pl. del pron. - genitivo plurale del pronome.
geogr voce appartenente alla geografia.
ger. gerundio.
imp. verbo impersonale.
inusit. inusitato.

metaf. in senso metaforico.
mitolog. voce appartenente alla mitologia.
n. verbo neutro.
n. imp. neutro impersonale.
nom. num. card. indecl. - nome numerale cardinale indeclinabile.
n. pr. f. nome proprio femminino.
n. pr. m. nome proprio mascolino.
n. pr. m. pl. nome proprio mascolino plurale.
num. numero.
part. cond. particella condizionale.
part. cop. particella copulativa.
part. fut. att. - participio futuro attivo.
part. fut. dep. - participio futuro deponente.
part. fut. pass. - participio futuro passivo.
part. pr. participio presente.
perf. preterito perfetto.
pl. plurale.
pp. dep. participio passato deponente
pp. pass. participio passato passivo.
prep. che regg. l'abl. - preposizione che regge l'ablativo.
prep. che regg. l'acc. - preposizione che regge l'accusativo.
pron. pronome.
pron. dim. pronome dimostrativo.
pron. poss. pronome possessivo.
pron. recipr. pronome reciproco.
sf. sostantivo femminino.
sf. pl. sostantivo femminino plurale.
sm. sostantivo mascolino.
sm. pl. sostantivo mascolino plurale.
sn. sostantivo neutro.
sn. pl. sostantivo neutro plurale.
sup. grado superlativo.
supin. supino.
trasl. in senso traslato.
v vedi.

LEXICON
LATINO-ITALICVM

A, ab, *prep. che regg. l'abl.; da, dal, dallo, dalla, da', dai, dalli, dagli, dalle.* § 2. *Dopo.* Ab urbe condita (*dopo la fondazione di Roma*). § 3. *Fin da.* A pueritia (*fin dalla fanciullezza*).
Abactus, a, um, *pp. pass. di* abigo; *condotto via, tolto.*
Abdicatus, a, um, *pp. pass. di* abdico.
Abdico, as, avi, atum, are; *att.* 1; *rinunziare.* Se abdicare (*rinunziare*).
Abdidi, *perf. di* abdo.
Abditus, a um, *pp. pass. di* abdo; *nascosto.*
Abdo, is, abdidi, abditum, abdere, *att.* 3; *nascondere.*
Abduco, cis, xi, ctum, abducere, *att.* 3; *condurre via.*
Abductus, a, um, *pp. pass. di* abduco; *condotto, condotto via, allontanato.*
Abeo, is, ivi *ed* **ii, itum, ire,** *n. anom.; andare, andar via, partire.* § 2. Abire magistratu (*uscire di carica*). § 3. Abire ab administratione reipublicae (*abbandonare l' amministrazione della cosa pubblica*). § 4. *Passare.* Impune abire (*uscirne senza castigo*).
Abi, *imperat. di* abeo.
Abiens, beuntis, *part. pr. di* abeo.
Abii, *perf. di* abeo.
Ablatus, a, um, *pp. pass. di* aufero; *rapito, rubato.*
Abluo, is, lui, lutum, abluere, *att.* 3; *lavare.*
Abnuo, is, ui, abnuere, *att.* 3; *ricusare*
Aborigines, num (*geogr.*), *sm. pl.* 3; *gli Aborigeni, primi abitatori del Lazio.*
Abrogo, as, avi, atum, are, *att.* 1; *togliere.*
Absens, tis, *agg. com.* 3; *assente, lontano.*
Absolvo, is, vi, solutum, absolvere, *att.* 3; *assolvere.*
Abstersus, a, um, *pp. pass. di* abstergeo; *polito, nettato, forbito.*
Abstinendus, a, um, *part. fut. pass. di* abstineo.
Abstineo, nes, nui, tentum, abstinere, *n.* 2; *astenersi, non toccare, non entrare.*
Abstractus, a, um, *pp. pass. di* abstraho; *diviso.*
Abstuli, *perf. di* aufero.
Absum, bes, abfui, abesse, *anom., esser lontano, assente.* Haud procul absunt, quin urbem capiant (*non sono lontani dal prender la città*). Quinque dierum iter abest (*è lontano cinque giornate di cammino*).
Absumo, is, sumsi, sumtum, absumere, *att.* 3; *uccidere, spegnere.* § 2. *Distruggere, consumare.*
Absumtus, a, um, *pp. pass. di* absumo.
Abundo, as, avi, atum, are, *n.* 1; *abbondare.*
Ac, *cong.; e.*
Accedo, is, cessi, cessum, accedere, *n.* 3; *accostarsi, appressarsi, avvicinarsi.* § 2. *Aggiungersi.* § 3. Ad imperium accessit (*pigliò le redini dell'impero*).

Accensus, a, um, *pp. pass. di* accendo; *acceso.*
Accepi, *perf. di* accipio.
Acceptissimus, a, um, *agg. sup.*; *gratissimo, il più grato, il più caro.*
Accepturus, a, um, *part. fut. att. di* accipio.
Acceptus, a, um, *pp. pass. di* accipio; *ricevuto, accettato, preso, pigliato.* § 2. *Agg.*; *accetto, gradito.*
Accessi, *perf. di* accedo.
Accido, is, cidi, accidere, *n.* 3; *accadere, avvenire, intervenire.*
Accio, is, ivi *od* ii, itum, ire, *n.* 4; *mandar a chiamare, far venire.*
Accipiendus, a, um, *part. fut. pass. di* accipio.
Accipio, is, cepi, ceptum, accipere, *att.* 3; *ricevere, accogliere.* § 2. *Udire, intendere.*
Accisus, a, um, *pp, pass. di* accido; *rovinato.*
Accitus, a, um, *pp. pass. di* accio; *fatto venire, chiamato.* Accitus in imperium (*chiamato all'impero*).
Accivi, *perf. di* accio.
Accusans, tis, *part. pr. di* accuso; *accusando.*
Accusator, oris, *sm.* 3; *accusatore.*
Accusatus, a, um, *pp. pass. di* accuso; *accusato.*
Acer, acris, acre, cris, *agg. com.* 3; *prode, valoroso.* § 2. *Diligente.* § 3. *Aspro, crudele, violento.* § 4. *Acuto.*
Acerbe, *avv.*; *acerbamente, aspramente, crudelmente.*
Acerbior, acerbius, bioris, *agg. comp.* 3; *più acerbo.*
Acerbus, a, um, *agg.*; *acerbo, aspro, crudele.* § 2. *Immaturo, innanzi tempo.*
Acerrime, *avv. sup.*; *con sommo studio, a tutto potere.*
Acerrimus, a, um, *agg. sup.*; *fierissimo.*
Achaei, orum (*geogr.*), *sm. pl.*; *Achei, abitanti, dell'Acaia.*
Achaia, ae (*geogr.*), *sf.* 1; *l'Acaia, provincia del Peloponneso.*
Acies, ciei, *sf.* 5; *campo di battaglia, battaglia.* In aciem educere (*condurre in campo condurre alla battaglia*). Per acies (*in battaglia*). § 2. *Esercito, schiera, fila.* Acie dimicare (*combattere con giusto ed ordinato esercito*). Aciem instruere (*ordinare l'esercito o la flotta, disporla alla battaglia*).
Acrior, acrius, oris, *agg. com.* 3; *più gagliardo, più forte, più aspro.*
Acriter, *avv.*; *gagliardamente.* § 2. *Coraggiosamente, valorosamente.*
Acrius, *avv. comp.*; *più gagliardamente.*
Actio, nis, *sf.* 3; *azione.* § 2. *Aringa, orazione, accusa.*
Actium, ii (*geogr.*), *sn.* 2; *Azio, promontorio e città nell'Epiro.*
Actus, a, um, *pp. pass. di* ago. Actum fuisset de Italia (*non vi sarebbe più stata speranza per l'Italia*).
Ad, *prep. che regg. l'acc.*; *a, ad, allo, alla, a', ai, alli, agli, alle.* § 2. *Secondo.* Ad cursum (*secondo il corso*). § 3. *Per.* § 4. Ad haec (*inoltre*). § 5. *Sino, sino a.* § 6. *Presso, vicino.* § 7. *Circa, quasi.* Ad sexaginta (*quasi sessanta*).
Addictus, a, um, *pp. pass. di* addico; *obbligato.*
Addidi, *perf. di* addo.
Additus, a, um, *pp. pass. di* addo; *aggiunto.*
Addo, is, didi, ditum, addere, *att.* 3; *aggiungere.*
Adduco, cis, xi, ctum, cere, *att.* 3; *condurre.* § 2. *Indurre, persuadere.* § 3. *Ridurre.*
Adductus, a, um, *pp. pass. di* adduco.
Adduxi, *perf. di* adduco.
Adegi, *perf. di* adigo.
Ademptus, a, um, *pp. pass di* adimo; *tolto.*

Adeo, *avv.; talmente, tanto, così.*
Adeo, is, ivi *od* ii, itum, ire, *n. anom.; andare a trovare, recarsi, andare, visitare.*
Adeptus, a, um, *pp. dep. di* adipiscor.
Adfinitas, tis, *sf.* 3; *affinità, parentela.*
Adfui, *perf. di* adsum.
Adherbal, lis, *n. pr. m.* 3; *Aderbale.*
Adhibitus, a, um, *pp. pass. di* adhibeo; *adoperato, usato.* Adhibitus in consilia (*ammesso nei consigli*).
Adhortans, tis, *part. pr. di* adhortor; *che esorta, esortava, che conforta, confortava.*
Adhortatio, nis, *sf.* 3; *esortazione.*
Adhuc, *avv.; ancora.*
Adieci, *perf. di* adiicio.
Adiectus, a, um, *pp. pass. di* adiicio; *aggiunto.*
Adigo, is, adegi, adactum, adigere, *att.* 3; *costringere sforzare.* Iureiurando o sacramento adigere (*far giurare*).
Adii, *perf. di* adeo.
Adiicio, is, adieci, adiectum, adiicere, *att.* 3; *aggiungere, applicare.* Animum adiicere (*applicar l'animo, volgersi a*).
Adimo, is, demi, demptum, adimere, *att.* 3; *togliere.*
Adipiscor, sceris, adeptus sum, adipisci, *dep.* 3; *acquistare, conseguire, ottenere.*
Aditus, a, um, *pp. pass. di* adeo; *visitato.*
Aditus, us, *sm.* 4; *entrata, ingresso.*
Adiuncta, orum, *sn. pl.* 2; *aggiunti, circostanze.* Rerum adiuncta (*occorrenze*). In illis rerum adiunctis (*in quelle occorrenze*).
Adiunctus, a, um, *pp. pass. di* adiungo.
Adiungo, gis, xi, ctum, adiungere, *att.* 3; *aggiungere, unire.*
Adiunxi, *perf. di* adiungo.
Adiutor, ris, *sm.* 3; *aiutatore.* Quo adiutore (*coll'aiuto del quale*).
Adiuvo, as, adiuvi, adiutum, adiuvare, *att.* 1; *aiutare.*
Administer, tri, *sm.* 2; *ministro, esecutore.*
Administrandus, a, um, *part. fut. pass. di* administro.
Administratio, nis, *sf.* 3; *amministrazione.*
Administrans, tis, *part. pres. di* administro.
Administratus, a, um, *pp. pass. di* administro.
Administro, as, avi, atum, are, *att.* 1; *amministrare, governare.* § 2. *Condurre.* Bellum fortissime administrare (*condurre con molto valore la guerra*).
Admiratio, nis, *sf.* 3; *ammirazione, maraviglia.*
Admiratus, a, um, *part. dep. di* admiror; *maravigliando, maravigliato.*
Admisi, *perf. di* admitto.
Admissus, a, um *pp. pass. di* admitto; *introdotto.*
Admitto, is, misi, missum, admittere, *att.* 3; *introdurre, lasciar entrare.* § 2. *Ammettere, accogliere, approvare.*
Admodum, *avv.; assai.*
Admonitus, a, um, *pp. pass. di* admoneo; *avvisato, avvertito, informato, istrutto.*
Admotus, a, um, *pp. pass. di* admoveo; *fatto avvicinare.*
Adnitens, tis, *part. pr. di* adnitor; *che si sforza.* Adnitente regina (*col mezzo, coll'opera, per gli sforzi della regina*).
Adolescens, tis, *sm.* 3; *giovane.*
Adolesco, scis, adolevi, adultum, adolescere, *n.* 3; *crescere in età.*
Adolevi, *perf. di* adolesco.
Adoptando, *ger. di* adopto.
Adoptio, nis, *sf.* 3; *adozione.*
Adopto, as, avi, atum, are, *att.* 1; *adottare.*
Adorior, riris, ortus sum, adoriri, *dep.* 4; *assalire.*
Adornatus, a, um, *pp. pass. di* adorno; *ornato, adorno, preparato. provveduto.*

Adortus, a, um, *pp. dep. di* adorior.
Adprobans, tis, *part. pr. di* adprobo; *che approva, approvando.*
Adrumetum, i *(geogr.)*, *sn.* 2; *Adrumeto, città in Africa, presso al mare.*
Adscisco, scis, scivi, scitum, adsciscere, *att.* 3; *chiamare, far venire, eleggere.*
Adscitus, a, um, *pp. pass. di* adscisco; *eletto, creato.*
Adscivi, *perf. di* adscisco.
Adsideo, es, sedi, sessum, adsidere, *n.* 2; *sedere accanto, consigliare, aiutare coi consigli, fare da consultore.*
Adsignatus, a, um, *pp. pass. di* adsigno; *assegnato.*
Adsuefacio, cis, feci, factum, adsuefacere, *att.* 3; *assuefare, avvezzare.*
Adsum, des, adfui, adesse, *n. an.; trovarsi, essere presente, intervenire.* § 2. *Essere vicino; essere imminente.* § 3. *Favorire.*
Adsurgo, gis, surrexi, surrectum, gere, *n.* 3; *levarsi in piedi.* Senatui advenienti adsurgere *(levarsi in piedi all'arrivo del Senato).*
Adultus, a, um, *pp. pass. di* adolesco; *avanzato.*
Advectus, a, um, *pp. pass. di* adveho; *portato, recato.*
Advena, ae, *sm.* 1; *forestiero, straniero.*
Adveni, *perf. di* advenio.
Adveniens, tis, *part. pr. di* advenio; *che giunge, che si avanza, che arriva, giungendo, venendo.*
Advenio, nis, veni, ventum, advenire, *n.* 4; *venire, giungere.*
Adventans, tis, *part. pr. di* advento; *che giunge o giungeva, che arriva o arrivava.*
Advento, as, avi, atum, are, *n.* 1; *avvicinarsi, appressarsi, essere imminente, giungere.*
Adventus, us, *sm.* 4; *venuta, arrivo.*
Adversans, tis, *part. pr. di* adversor.
Adversor, aris, atus sum, adversari, *dep.* 1; *opporsi.*
Adversus, a, um, *agg.; di fronte, dirimpetto.* § 2. *Nimico, contrario, avverso, sfavorevole.* Res adversae *(le avversità).*
Adversus, *avv.; contra, contro.* § 2. *Verso, con.*
Advoco, as, avi, atum, are, *att.* 1; *chiamare.* Advocare concionem *(chiamare a parlamento l'esercito; intimare la radunanza dell'esercito).*
Aebutius, ii, *n. pr. m.* 2; *Ebuzio.*
Aedes, dis, *sf.* 3; *tempio.* § 2. Aedes, dium, *sf. pl.* 3; *casa, palazzo.*
Aedificandus, a, um, *part. fut. pass. di* aedifico.
Aedificatio, nis, *sf.* 3; *fabbrica, costruzione, fabbricazione.*
Aedificium, ii, *sn.* 2; *edifizio.*
Aedifico, as, avi, atum, are, *att.* 1; *edificare, fabbricare, costruire.*
Aedilicius, a, um, *agg.; edilizio, che fu edile.*
Aedilitas, tis, *sf.* 3; *edilità, dignità ed uffizio degli edili.*
Aegates, um *(geogr.)*, *sf. pl.* 3; *Egati, isole del Mediterraneo, vicino alla Sicilia.*
Aeger, gra, grum, *agg.; corrotto.* Aeger avaritia *(avaro).* § 2. *Infermo.*
Aegre, *avv.; malvolentieri.* § 2. *A stento, con difficoltà.*
Aegritudo, dinis, *sf.* 3; *dolore.*
Aegyptus, i *(geogr.)*, *sf.* 2; *l'Egitto, regione dell'Africa, o, come altri vuole, dell'Asia, bagnata dal Nilo.*
Aelius, ii, *n. pr. m.* 2; *Elio.*
Aemilius, ii, *n. pr. m.* 2; *Emilio.*
Aemulatio, nis, *sf.* 3; *emulazione, imitazione.* § 2. *Rivalità, gelosia.*
Aemulus, a, um, *agg.; rivale, nemico.*
Aeneas, eae, *n. pr. m.* 1; *Enea, figlio di Anchise, principe troiano.*
Aequabiliter, *avv.; egualmente.*

Aequalis, lis, *sm.* 3; *coetaneo.*
Aequalitas, tis, *sf.* 3; *eguaglianza civile.* Exuta aequalitate (*spogliati della civile eguaglianza.*
Aeque. *avv.; egualmente.*
Aequi, orum (*geogr.*), *sm. pl.* 2; *Equi, antichi popoli d'Italia, confinanti coi Latini e coi Volsci.*
Aequitas, tis, *sf.* 3; *equità, giustizia.*
Aequo, as, avi, atum, are, *att.* 1; *eguagliare.*
Aequus, a, um, *agg.; uguale.* § 2. *Equo, giusto, conveniente.* § 3. Ex aequo (*ugualmente).*
Aerarium, ii, *sn.* 2; *erario.*
Aes, aeris, *sn.* 3; *bronzo.* § 2. *Danaro.* Aes alienum (*i debiti*). Aes grave (*asse, moneta romana di bronzo, del peso di una libbra).*
Aestas, tis, *sf.* 3; *estate.*
Aestimo, as, avi, atum, are, *att.* 1; *valutare.* Aestimari dupondio et semisse (*valere due assi e mezzo).*
Aetas, tis, *sf.* 3; *età.*
Aeternus, a, um, *agg.; eterno.*
Aëtius, tii, *n. pr. m.* 2; *Aezio.*
Affeci, *perf.* di afficio.
Affecto, as, avi, atum, are, *att.* 1; *aspirare.*
Affectus, a, um, *pp. pass.* di afficio. Supplicio affectus (*messo a morte).* Variis suppliciorum generibus affecti (*uccisi con varie maniere di supplizi).*
Affectus, us, *sm.* 4; *affetto, amore.*
Affero, fers, attuli, allatum, afferre. *att. an.; apportare, arrecare.* § 2. *Fare.*
Afficio, cis, feci, fectum, afficere, *att.* 3; *riempiere arrecare.* Gravibus casibus Italiam afficere (*arrecare all'Italia gravi sventure).* Supplicio afficere (*mettere a morte*).
Affigo, gis, xi, xum e ctum, affigere, *att.* 3; *attaccare, piantare.*
Affirmo, as, avi, atum, are, *att.* 1; *affermare.*
Afflatus, a, um, *pp. pass. di* afflo · *colpito.*
Afflictatus, a, um, *pp. pass. di* afflicto.
Afflicto, as, avi, atum, are, *att.* 1; *travagliare.*
Afflictus, a, um, *pp. pass. di* affligo; *abbattuto, tribolato, afflitto.*
Affligo, gis, xi, ctum, affligere, *att.* 3; *abbattere.*
Afflixi, *perf. di* affligo.
Affui, *o* adfui, *perf. di* adsum.
Afranius, ii, *n. pr. m.* 2; *Afranio.*
Africa, cae (*geogr.*), *sf.* 1; *l'Africa, una delle grandi parti, in cui si divide il globo terrestre.*
Africanus, i, *n. pr. m.* 2; *Africano.*
Africus, a, um, *agg.; africano, dell'Africa.*
Agedum, *avv.; su via, or su, or via.*
Agendo, *ger. di* ago.
Agendus, a, um, *part. fut. pass. di* ago.
Agens, tis, *part. pr. di* ago.
Ager, gri, *sm.* 2; *campo, campagna, contado, territorio.*
Aggredior, deris, gressus sum, aggredi, *dep.* 3; *imprendere, incominciare, appigliarsi.* § 2. *Assalire, assaltare.*
Aggressus, a, um, *pp. dep. di* aggredior.
Agitans, tis, *part. pr. di* agito.
Agitatus, a, um, *pp. pass. di* agito.
Agito, as, avi, atum, are, *att.* 1; *trattare.* § 2. *Travagliare, affliggere, tormentare.* § 3. *Stimolare.* § 4. *Amministrare, governare.* § 5. *Pensare, considerare.* § 6. *Parlare, ragionare.*
Agmen, minis, *sn.* 3; *schiera, turba, moltitudine.* § 2. *Marcia.* Agmine quadrato (*in ordine di battaglia).* § 3. *Esercito.* § 4. *Fila.*
Agnosco, scis, gnovi, gnitum, agnoscere, *att.* 3; *riconoscere.*

Agnovi, *perf. di* agnosco.
Ago, is, egi, actum, agere, *att.* 3; *fare, operare*. Agere circumspectius *(operare, vivere con maggior circospezione)*. Praedam agere ex agris *(saccheggiare le campagne)*. § 2. *Trattare, parlare, dire*. § 3. *Spingere*. § 4. *Far passare*. § 5. *Cacciare, mandare*. § 6. Gratias agere *(ringraziare)*. § 7. Rem agere *(combattere)*. § 8. *Adoperarsi, sforzarsi*. Id agebant ut *(si adoperava affinchè)*. § 9. Triumphum agere *(menare trionfo)*. § 10. Ante currum agere *(far camminare avanti il cocchio)*. § 11. Annum agere vicesimum *(essere in età di vent'anni)*.
Agrarius, a, um, *agg.; agrario*.
Agrestis, agreste, tis, *agg. com.* 3; *villereccio, campestre*.
Agrigentum, i *(geogr.)*, *sn.* 2; *Agrigento, città della Sicilia*.
Agrippa, ae, *n. pr. m.* 1; *Agrippa*.
Agrippina, ae *(geogr.)*, *sf.* 1; *Agrippina, antica metropoli degli Ubii*.
Agrippina, ae, *n. pr. f.* 1; *Agrippina*.
Ahala, ae, *n. pr. m.* 1; *Aala*.
Aio, ais, ait, *n. dif.* 3; *dire*.
Ala, ae, *sf.* 1; *ala*.
Alacer, alacris, alacre, cris, *agg. com.* 3; *gaio, giulivo*.
Alacritas, tis, *sf.* 3; *alacrità, ardore, prontezza*. § 2. *Allegrezza*.
Alamanni, orum *(geogr.)*, *sm. pl.* 2; *gli Alemanni, popolo della Germania, tra il Reno e il Danubio*.
Alani, orum *(geogr.)*, *sm.* 2; *gli Alani, popoli della Sarmazia europea*.
Alaricus, i, *n. pr. m.* 2; *Alarico*.
Alba o longa Alba *(geogr.)*, *sf.* 1; *Alba, Alba lunga, città del Lazio*.
Albani, orum *(geogr.)*, *sm. pl.* 2; *gli Albani, abitanti di Alba lunga*. § 2. *Albani, popoli dell'Albania*.
Albanus, a, um, *agg.; albano, di Alba*. Albanus mons *(monte Albano)*.
Albinus, i, *n. pr. m.* 2; *Albino*.
Alexander, dri, *n. pr. m.* 2; *Alessandro*.
Albis, is *(geogr.)*, *sm.* 3; *l'Elba, fiume dell'Alemagna*.
Alexandria, ae *(geogr.)*, *sf.* 1; *Alessandria, città d'Egitto*.
Algidus, i *(geogr.)*, *sm.* 2; *Algido, monte vicino di Tivoli*.
Alias, *avv.; altre volte*.
Alibi, *avv.; altrove, in altro luogo*.
Alio, *avv.; altrove*.
Aliquandiu, *avv.; per qualche tempo*.
Aliquando, *avv.; un giorno, una volta*.
Aliquanto, *avv.; alquanto*.
Aliquantum, *avv.; alquanto*.
Aliquis, qua, quod, o quid, *pron.; alcuno, qualcheduno*.
Aliquot, *agg. num. indef. ind.; alcuni*.
Aliter, *avv.; altrimenti*.
Alius, a, ud, *agg.; altro, altri*. Alius alium intuentes *(guardandosi l'un l'altro)*. Super alium, alius *(l'uno sopra l'altro)*. § 2. *Diverso*. Alius alia via *(in maniera diversa)*. Alius alio modo *(chi in un modo, e chi in un altro)*. Alii alio leto *(chi di una morte e chi di un' altra)*. Alius alibi *(chi in un luogo e chi in un altro)*.
Allatus, a, um, *pp. pass.* di affero; *apportato arrecato*.
Allia, ae *(geogr.)*, *sf.* 1; *Allia, fiume nel paese dei Sabini*.
Alliensis, alliense, sis, *agg. com.* 3; *Alliense, dell'Allia*. Dies alliensis *(giorno della battaglia di Allia; giorno funesto)*.
Alo, is, ui, altum, alere, *att.* 3; *alimentare*.
Alpes, ium *(geogr.)*, *sf. pl.* 3; *le Alpi, catena di montagne, che*

circondano l'Italia e la dividono dalla Francia, dalla Svizzera e dall'Alemagna.
Altare, ris, *sn.* 3; *altare.*
Alter, era, erum, *pron.; altro, secondo, uno.* § 2. Alter - alter *(l'uno – l'altro).* Alter alterius conspectu *(alla vista l'uno dell'altro).* Unus aut alter *(uno o due).* § 3. Iam alterum annum *(già da due anni).*
Altercatio, nis, *sf.* 3; *altercazione, dibattimento.*
Alternus, a, um, *agg.; alterno, vicendevole.* Alternis mensibus *(un mese sì e l'altro no).*
Altior, altius, tioris, *agg. comp.* 3; *più alto.*
Altus, a, um, *agg.; alto, grande.* Alta sperare *(sperare cose grandi).* § 2. *Profondo.*
Alveus, i, *sm.* 2; *conca, vaso in forma di navicella.*
Ambitio, nis, *sf.* 3; *ambizione.*
Ambitus, us, *sm.* 4; *broglio raggiro.*
Ambo, ae, o, *agg. pl.; amendue, entrambi.*
Ambustus, i, *n. pr. m.* 2; *Ambusto.*
Amicitia, ae, *sf.* 1; *amicizia.*
Amicus, ci, *sm.* 2; *amico.*
Amissus, a, um, *pp. pass. di* amitto; *perduto.*
Amittendus, a, um, *part. fut. pass. di* amitto.
Amitto, is, misi, missum, amittere, *att.* 3; *perdere.*
Amnis, is, *sm.* 3; *fiume.*
Amo, as, avi, atum, are, *att.* 1; *amare.*
Amor, ris, *sm.* 3; *amore.*
Amovendus, a, um, *part. fut. pass. di* amoveo.
Amoveo, ves, vi, amotum, amovere, *att.* 2; *allontanare.*
Amplector, teris, amplexus sum, amplecti, *dep.* 3; *abbracciare.*
Amplexus, a, um, *pp. dep. di* amplector.
Amplificatus, a, um, *pp. pass. di* amplifico; *ampliato, ingrandito.*
Amplissimus, a, um, *agg.; grandissimo.*
Amplius, *avv.; più.*
Amulius, ii, *n. pr. m.* 2; *Amulio, figliuolo di Proca.*
An, *avv.; se, forse.* § 2. *O, ovvero.*
Anceps, pitis, *agg. com.* 3; *dubbio, incerto, dubbioso.*
Anchora, ae, *sf.* 1; *àncora.* In anchoris stare *(essere pronto a far vela).*
Andriscus, sci, *n. pr. m.* 2; *Andrisco.*
Angli, orum *(geogr.)*, *sm.* 2; *gli Angli, popolo della Sassònia inferiore.*
Angustiae, arum, *sf. pl.* 1; *angustie, strettezze.* § 2. *Stretta, serra, gola, passo stretto nelle montagne.*
Angustus, a, um, *agg.; angusto, stretto.*
Ancus, ci, *n. pr. m.* 2; *Anco.*
Ango, gis, xi, angere, *att.* 3; *cruciare, affliggere, addolorare.*
Anien, nis *(geogr.)*, *sm.* 3; *l'Aniene, fiume dei Sabini.*
Anima, ae, *sf.* 1; *anima, vita.*
Animadversus, a, um, *pp. pass. di* animadverto; *conosciuto, considerato.*
Animadverto, is, ti, sum, animadvertere, *att.* 3; *avvedersi, accorgersi, conoscere.*
Animus, i, *sm.* 2; *animo.*
Annaeus, i, *n. pr. m.* 2; *Anneo.*
Annona, ae, *sf.* 1; *viveri.*
Annonarius, a, um, *agg.; annonario, spettante ai viveri.* Res annonaria *(i viveri, le provvisioni).*
Annus, i, *sm.* 2; *anno.*
Annuus, ua, um, *agg.; annuo, di un anno, per un anno.*
Ante, *avv. e prep. che regg. l'acc.; avanti, innanzi, prima.*
Antea, *avv.; per lo addietro.* § 2. *Prima.*
Antecedens, tis, *part. pr. di* antecedo; *camminando innanzi, precedendo.*

Antecedo, is, cessi, cessum, antecedere, *n.* 3; *precedere.*
Antecessi, *perf. di* antecedo.
Antemnates, tium (*geogr.*), *sm. pl.* 3; *gli Antennati, gli abitanti di Antenna.*
Antiochus, i, *n. pr. m.* 2; *Antioco.*
Antiquus, ua, um, *agg.*; *antico.*
Antoninus, i, *n. pr. m.* 2; *Antonino.*
Antonius, ii, *n. pr. m.* 2; *Antonio.*
Aperio, is, perui, apertum, aperire, *att.* 4; *aprire.*
Aperte, *avv.*; *apertamente, manifestamente, palesemente.*
Apertissime, *avv. sup.*; *manifestissimamente.*
Apertus, a, um, *pp. pass. di* aperio, *aperto.*
Apollonia, ae (*geogr.*), *sf.* 1; *Apollonia, città della Macedonia.*
Apparatus, us, *sm.* 4; *apparato, apparecchio.*
Appareo, es, rui, ritum, apparere, *n.* 2; *apparire, farsi manifesto, vedersi.*
Apparo, as, avi, atum, are, *att.* 1; *preparare, apparecchiare.*
Apparui, *perf. di* appareo.
Appellans, tis, *part. pr. di* appello.
Appellatus, a, um, *pp. pass. di* appello; *chiamato.*
Appello, as, avi, atum, are, *att.* 1; *chiamare.*
Appello, is, appuli, appulsum, appellere, *n.* 3; *approdare.*
Appensus, a, um, *pp. pass. di* appendo; *pesato.*
Appetii, *perf. di* appeto.
Appeto, is, tivi o tii, titum, appetere, *att.* 3; *assalire.*
Appius, ii, *n. pr. m.* 2; *Appio.*
Applico, as, plicui, plicitum, applicare, *att.* 1; *accostare.* Applicare se alicui (*stringere amicizia od alleanza con alcuno*).
Applicui, *perf. di* applico.
Approbo, as, avi, atum, are, *att.* 1; *approvare.*
Appuli, *perf. di* appello, is.
Appulsus, us, *sm.* 4; *sbarco, l'approdare.*
Apte, *avv.*; *acconciamente, bene.*
Aptior, aptius, ris, *agg. comp. di* aptus.
Aptus, a, um, *agg.*; *alto, acconcio, disposto.*
Apud, *prep. che regg. l'acc.*; *appresso, presso.*
Apulia, ae (*geogr.*), *sf.* 1; *Apulia, Puglia, contrada d'Italia.*
Aqua, ae, *sf.* 1; *aqua.* Aqua profluens (*la corrente*).
Aquae Sextiae, arum (*geogr.*), *sf. pl.* 1; *Acque Sestie, oggidì Aix, città della Provenza.*
Aquila, ae, *sf.* 1; *aquila.*
Aquitania, ae (*geogr.*), *sf.* 1; *l'Aquitania, una delle quattro parti della Gallia antica.*
Arbitrium, ii, *sn.* 2; *arbitrio.* Arbitrio suo (*a loro posta*).
Arbitror, aris, atus sum, ari, *dep.* 1; *pensare, stimare, giudicare.*
Arbor, ris, *sf.* 3; *albero, pianta.*
Arcadius, ii, *n. pr. m.* 2; *Arcadio.*
Arcendus, a, um, *part. fut. pass. di* arceo.
Arceo, es, cui, arcere, *att.* 2; *respingere, allontanare.*
Arcesso, is, ivi, itum, arcessere, *att.* 3; *chiamare, mandare a chiamare, far venire.*
Archimedes, dis, *n. pr. m.* 3; *Archimede, celebre matematico di Siracusa.*
Arctior, arctius, ioris, *agg. comp.* 3; *più stretto.*
Ardea, ae (*geogr.*), *sf.* 1; *Ardea, città del Lazio.*
Ardens, tis, *part. pr. di* ardeo; *ardente, caldo, bollente.*
Ardor, oris, *sm.* 3; *ardore, veemenza.*
Area, ae, *sf.* 1; *piano.*
Argenteus, a, um, *agg.*; *d'argento.*
Argentum, i, *sn.* 2; *argento.*
Argumentum, i, *sn.* 2; *argomento.*
Ariminum, i (*geogr.*), *sn.* 2; *Rimini, città dell'Emilia.*

Arma, orum, *sn. pl.* 2; *armi, arme.* § 2. *Guerra.*
Armatus, a, um, *pp. pass. di* armo; *armato.*
Armenia, ae (*geogr.*), *sf.* 1; *l'Armenia, grande regione dell'Asia tra i monti Tauro e Caucaso.*
Armo, as, avi, atum, are, *att.* 1; *armare.*
Arrectus, a, um, *pp. pass. di* arrigo; *eccitato, animato.*
Arreptus, a, um, *pp. pass. di* arripio; *preso, afferrato.*
Arretini, orum (*geogr.*), *sm. pl.* 2; *gli Aretini, quei di Arezzo.*
Arretium, ii (*geogr.*), *sn.* 2; *Arezzo, città dell'Etruria.*
Arripiens, tis, *part. pr. di* arripio.
Arripio, pis, pui, arreptum, arripere, *att.* 3; *afferrare, pigliare.* § 2. *Apprendere.*
Arripui, *perf. di* arripio.
Ars, tis, *sf.* 3; *arte.*
Aruns, tis, *n. pr. m.* 3; *Arunte.*
Arx, cis, *sf.* 3; *rocca, cittadella.*
As, assis, *sm.* 3; *asse, antica moneta romana, corrispondente al nostro soldo.*
Ascanius, ii, *n. pr. m.* 2; *Ascanio, figliuolo di Enea e di Lavinia.*
Ascendo, is, di, sum, ascendere, *n.* 3; *salire, montare, ascendere.*
Asculum, i (*geogr.*), *sn.* 2; *Ascoli, città della Puglia.*
Asia, ae (*geogr.*), *sf.* 1; *l'Asia, una delle grandi parti, in cui si divide il globo terrestre.*
Aspecto, as, avi, atum, are, *n.* 1; *mirare, porre l'animo.* § 2. *Aspettare.* Principis iussa aspectare (*pendere dal volere del Principe*).
Asperior, asperius, rioris, *agg. comp.* 3; *più aspro, più grave.*
Asperitas, tis, *sf.* 3; *difficoltà.*
Aspicio, cis, spexi, spectum, aspicere, *att.* 3; *vedere.*
Aspis, pidis, *sf.* 3; *aspide, piccola serpe velenosa.*
Asportans, tis, *part. pr. di* asporto; *trasportando.*
Assequor, queris, secutus sum, sequi, *dep.* 3; *ottenere, conseguire.*
Asserendus, a, um, *part. fut. pass. di* assero.
Assero, is, rui, rtum, asserere, *att.* 3; *difendere, guarentire proteggere, salvare.*
Assiduus, a, um, *agg.*; *assiduo, molesto.*
Assuetus, a, um, *pp. pass. di* assuesco; *solito, avvezzo.*
Assulto, as, avi, atum, are, *n.* 1; *assaltare.*
